


DE NOBILITATE EIVSQVE ORIGINE, *ET DE RECTA* FORMA REGNANDI AD PRINCIPES LAICOS, *AC DE LAVDABILI SVBDITORVM obſeruantia erga Principem,* THEOREMATA.



AVCTORE

F. ANGELO PETRICCA A' SONNENO, Ord. Min. Con. S. Fr. S. Theol. Doctore: olim Vicario Patriarchali Conſtant. & S. Congr. pro emendatione Euchol. Grac. Theol. nunc S. Cong. Indicis Conſ.

Romæ, Typis IGNATII DE LAZERIS, 1659.
Superiorum permiſſu. Opus auctoris quartum.

EMINENT.MO AC REV.

PRINCIPI

D. FLAVIO CARD. CHISIO;

S.MI D. N. ALEXANDRI PAPAE VII.

NEPOTI.



Pvs hoc, quod nobilitatis naturam ac origi- nem, & rectam regnandi, obſequendique formam cōplectitur, Tibi duplici iure offerendum fuit Princeps Eminentiſſime: & quia propria, & Maiorum tuorū antiqua

nobilitate effulges, & etiã quia ad regnandi munus aſſumptus, in maximis diiudicandis negotiis, pru-
Lib. 3. Polit. dentiã, quæ iuxta Philos. eſt propria Principis virtus, ſumma cum humanitate iungis: quod equidem Te in Chriſtiano Orbe valde laudabilẽ inſtituit. Altera cauſa eſt, vt meam erga Te obſeruantiã quoquo modo declararẽ: quæ ſicut erga Sanctiſſ. Patrem ac D. N. cum Cardinalis

Per-

Perſonā gereret, in me viguit, ſic æquè mihi ſuadet, vt Te itidem Dn̄m ac Patronū impetrare perquirā. etenim illius hæres fuiſti, poſtquam Diuina diſponente clementia ad Pontificatus apicē aſſumptus fuit. Neq; enim hoc opus in Patroni ſinum cōfugit, vt erudiat: quia aquis non eget Oceanus : ſed vt ex clariſſimo Tuo nomine ſplendorem trahat. Peto igitur maiorē in modum

vt

vt meum qualecunque in Te ſtudium boni conſulas, & hoc quicquid eſt muneris, libẽti animo ſuſcipias. Nam magnorum Principum non minus eſt libenter parua accipere, quã magna dare. & Deus O.M. Te quàmdiutiſſimè Eccleſiæ ſuæ incolumen ſeruet. Romæ Año Dom. 1659.

Eminentiæ Veſtræ Reu.[mæ]

Seruus humillimus,
FR. ANGELVS A' SONNENO,
Ord. Min. Con.

F. IACOBVS FABRETTVS DE RAVENNA
Art. & S. Theol. Doctor, & vniuersi Ordinis Min. S. Francisci Conu. Minister Generalis.

OPus inscriptum De nobilitate eiusque origine, & de recta forma regnandi ab Adm. Reu. Patre Magistro Angelo de Sonneno elaboratum, examini ac censuræ Adm. R. P. Magistri Lelij Spadæ Fauentini, Conuentus nostri Sanctorum XII. Apostolorum Romæ Guardiani demandatum, & ab eo diligenter recognitum; cum ex eius attestatione liqueat, nihil in eo aduersum esse doctrinæ catholicæ, sacrisve dogmatibus, & bonis moribus, vt imprimatur seruatis seruandis concedimus. In fidem &c. Datum Romæ 20. Septembris 1659.

Fr. IACOBVS DE RAVENNA
Minister Generalis.

Fr. BENEDICTVS à C. S. ANGELI
Secretarius & Assistens Ordinis.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

M. A. Episcopus Hierapolitanus.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Præd. Sacri Apost. Palatij Magister.

OPE-


OPERVM INDEX.

DVODECIM THEOREMATA pro recta forma Regnandi.

THEOREMATA QVATVOR PRO laudabili subditorum obsequio.

DE NOBILITATE ET EIVS ORIGINE DISCEPTATIO IN SEX THEOREMATA DISTRIBVTA

THEOREMA PRIMVM: DE NOBILITATE IN GENERE.





ENVS hominum in Nobiles & Ignobiles partiri, cum in scripturis sanctis doceat nos Dominus, dicente Isaia; Tumultuabitur ignobilis contrà nobilem. *& Iob;* siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles. *Vtile & delectabile existimaui, Nobilitatis naturam ac originem interpretari & aperire: Vt qui laudabili nobilitate clarescunt, non fiant aliquando improbi: & qui mala nobilitate potiuntur, se non laude dignos, imò vituperabiles agnoscant. & emendentur hi, qui prauis actibus nobiles fiunt: &* Cap. 3. Cap. 14

perseuerent illi, qui virtutibus illustres, egregia facta tenent.

Verum quia in omni rerum notitia comparanda, quid nominis, & quid rei, iuxta Philosophorum instituta expedit inquirere: primùm quid Nobilitatis nomen habeat, postmodùm quid reipsa Nobilitas inferat, enunciandum erit. Nobilitatis autem nomen, à verbo Nosco originẽ habet: etenim nobilis dicitur homo qui notus est, seu noscibilis, non obscurus & abiectus, sed cognitus, clarus, celeber & illustris. Arist. 1. Post. tex. 1.

7. Æneidos. *Quo sensu inquit Virgilius*: Est locus Italiæ in medio, sub montibus altis, nobilis &c. *videlicet notus & manifestus: vt ipse verbis mox sequentibus declarauit dicens*: Et fama multis memoratus in oris. *Id significatus hoc nomen inuoluit, & præterea nihil.*

Potest enim quis notus & cognitus fieri ob mala vel præclara facinora: hinc prisci Sapientes nobilitatem in bonam & malam, laudabilem & vituperabilem diuiserunt. Priorem notauit Salustius dicens. Nobili in Catil. de Diuin. Ecc. 10.

genere

genere natus. *Cicero*, Nobili loco natus. *& Salomon*: Beata terra cuius Rex nobilis est. *posteriorem verò Liuius*: Nobilis ille clade Romana locus. *Plautus*: Qui se scelere nobiles fieri nolunt *& S. Hieron*. Nobilis factus est scelere. Lib.9. In Rudente. In Heluidiū.

Veruntamen claritas quæ ex prauis vel bonis operibus oritur, Nobilitatem perfectè non continet nec includit: quia aliunde quàm ex actibus potest homo cognitus, illustris ac manifestus esse: natiuo scilicet sanguine, sententia Principis, & Opulentia.

Sanguine, si à parentibus, vel parentum serie, virtutibus longè fulgentium ortum ducat. docuit hoc Hieronymus de Paula Romana scribens: Grachorum stirps, soboles Scipionum iuncta est viro Toxotio, qui Æneæ ac Iuliorum altissimum sanguinem trahit. tomo 1. epi. 27

Principis voluntate atque statuto, vt Tiraq. refert ex Baldo & Bar. dicentibus, huiusmodi nobilitatem qualitatem esse, illatam per principatum tenentem, Cap.6.

qua quis vltra honestos plebeios acceptus ostenditur. Quod etiam sacra Hester narrat historia de Mardocheo, regali decore
Cap.6. *illustrato* : Sic honorabitur,*inquit*,quemcunque Rex voluerit honorare. *Idemq; scribit Plinius in Panegirico*. Cæsaris esse vt nobiles conseruet & efficiat. *Quod de Principe generatim intelligendum est: siue sit is qui tenet omnium dominatum*
lib.1.& *Deus, qui quandoque dignitates & nobi-*
2. Reg. *litatem constituit: nam Saul & Dauid titulo regio, proindeque nobilitate insigniuit. siue homo sit, qui cæterorum hominum gerit principatum.*

Et opulentia: quoniam diuitiarum af-
Ecc.10. *fluentia notum & æstimatione dignum ho-*
l.1.epi. *minem reddit. Quia scriptum est*: Pecuniæ obediunt omnia: *& Horatius*: Et genus & formam regina pecunia donat. *Idcirco quinque nobilitatis principia necessariò statuenda sunt: sanguis scilicet, Virtus, Vitium, Sententia Principis, & copia diuitiarum. Sic enim si dixerimus, ad Nobilitatē perspicuè inspiciendam, amplam aperiemus viam.* *Nunc*

Nunc verò Nobilitatem perfectè diuisam, quid sit secundum rem, & ex sui natura, oportet definire. Est autem Nobilitas quæ facit hominem excellere cæteros notitia & æstimatione. *& homo nobilis ille est qui notitia & æstimatione pollet. Nec definitio nobilitatis, quam Aristoteles & Boetius tradunt, hic accomodanda est: cum de ea in genere nunc disputemus. Prior enim inquit,* esse Maiorum claritatem, & honorabilitatem primogenitorum. *Posterior autem,* quandam esse laudem de meritis parentum venientem. *Vterque autem de Nobilitate in specie, nempe ex sanguine, hæc pronunciasse dicendum est: quoniam exploderent præcipuè nobilitatem ex virtute & vitio prouenientem, de qua Gregorius Nazianzenus & cæteri etiam Ethnici Sapientes disseruerunt. Ideoque definitionem quam supra pronunciauimus, nobilitatique in genere dedimus, peritus Lector assumet. Illa enim quemcumque nobilem ab ignobili seiungit, & ad suas species,* l.2.Ret. Orat. in Maximum.

æquè deſcendit: quia omnis huiuſmodi nobilitas hoc commune habet, vt nobilem ab ignobili diuidat in notitia & æſtimatione, quæ ſunt partes primæ ac propriæ nobilitatis in genere ſumptæ.

Siquis autem ſibi perſuadere voluerit, veram nobilitatem non niſi eam eſſe quæ ex Maiorum claritate, & honorabilitate progenitorum, ac parentum meritis fluit & prouenit: & nobilitatem ex virtute vel facinoribus ortam potius eſſe notionẽ quàm veram & propriam claritatem, maximè errat. redarguitur enim huiuſcemodi opinatio ſacrorum ac ethnicorum eruditis Virorum ſententiis, qui de Nobilitate ex propriis cuiuſque actibus orta, hæc docuerunt, quæ nunc recenſentur.

Stobæi Ser. 84. *Democritus interrogatus in quibus nobilitas conſiſteret, reſpondit:* Pecudum nobilitas in bono validoque corporis habitu ſita eſt, hominum autem in bonitate morum. Laert. lib. 6. *Antiſtenes virtute præditos eoſdem & nobiles dicebat:* Habent enim, *inquit*, id vnde vera naſcitur nobilitas.

Lycur-

Lycurgus: Nec nobis ò ciues nobilitas & ductum ab Hercule genus proderit, nisi omni studio & opera illa ipsi gesserimus, per quæ ille mortalium omnium clarissimus ac generosissimus extitit. Plut.in Lacon.

Cicero: Pulcherrimum nobilitatis genus est, quam sibi quisque propriis virtutibus conciliat. *& alibi*: Satius est meis gestis florere quàm maiorum opinione vti: & ita viuere, vt sim posteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum. Plut.in apoph. Rom. in orat. contra Sallustium.

Seneca: Nemo altero nobilior, nisi cui rectius ingenium & artibus bonis aptius &c. *& alibi*. Bona mens omnibus patet: omnes ad hoc sumus nobiles. nec reiicit quemquam Philosophia nec eligit: omnibus lucet. Patritius Socrates non fuit. Cleantes aquam traxit, & rigando hortulo locauit manus. Platonem non accepit nobilem philosophia, sed fecit. Quid est quare desperes his te posse fieri parem? omnes hi maiores tui sunt, si te illis geris dignum. lib3.de Benef. cap.28. lib. 1. Episto. ep. 44.

Gregorius Nazianz. nobilis Cappadox, Athenis omni disciplinarum genere eruditus, cuius germanus frater Cæsarius à Constantino Imp. in senatum cooptatus fuerat, & à Iuliano Imp. apostata nuncupato, custodiæ thesauri factus est Præfectus, vt Anno Christi 362. Orat. in Maximum. *Card. Baronius scribit, hæc de nobilitate profert.* Est enim ferè triplex generis consideratio: aliud enim supernè originem traxit, quo omnes peræquè nobiles sumus, quippe ad imaginem Dei creati &c. Aliud à virtute vel vitio agnoscitur, cuius vel vberiùs vel exiliùs participes efficimur, prout opinor diuinam imaginem vel conseruauerimus vel deformauerimus ac deprauauerimus: atque hanc demum nobilitatem amplectitur quisquis verè sapiens ac philosophus fuerit.

Tom. 3 lib. 2. in euã. Lucæ cap. 3. *Ambrosius, sanctitate, sanguine & doctrina clarus.* Admonentur claritatem sibi magis operis, quam nobilitatem generis vindicare, quod nulla in successione prærogatiua fit, nisi fidei adstipuletur

puletur

puletur hæreditas. *Hieronymus.* Nescit religio nostra personas accipere nec conditiones hominum, sed animos inspicit singulorum: seruum enim & nobilem de moribus pronunciat &c. Summa apud Deum est nobilitas clarum esse virtutibus &c. Tom 1 ep.14. Celantiam cap. 5.

Chrysostomus vir Ambrosio non dissimilis. Melius est, *inquit*, de contemptibili genere clarum fieri, quam de claro genere contemptibilem nasci. Qui enim de inMat. claro genere clarus nascitur, gloria claritudinis eius, non est solius, sed communis videtur: qui autem de contemptibili genere clarus egreditur, tota gloria claritudinis eius solius est &c. Ideo melius est vt in te glorientur parentes, quàm tu in parentibus glorieris.

Isidorus Pelusiota: Vera nobilitas à probis moribus nata est, firmaque & stabilis dignitas virtute comparatur.

Plautus: Pulchrius est nobilem virtute fieri quàm nasci. lib. 2. ep.291. inMer

Sententia igitur quam de Nobilitate

pro-

protulimus, quæ ex propriis actibus possidetur, innumeris Sapientum firmatur testimoniis: quæ ne beneuolo Lectori molesta sint, minimè afferuntur: quia quæ allata fuere, exploratam pariunt intelligentibus fidem. De vera itaque nobilitate illi solùm gloriari non licet, qui eam ex sanguine obtinet.

Huic tamen doctrinæ, et Nobilitatis partitioni, ac definitioni quam tradidimus, sicut olim nonnulli, sic nouissimè occurrit Hieronymus Osorius Lusitanus, qui lib. 2. de nobilitate ciuili, non aliam agnoscit veram nobilitatem quàm sanguinis seu generis atque prosapiæ. sic enim habet. Poterit igitur aliquis homo nouus existere omni virtute cumulatus, qui ita versetur in studio dignitatis, vt inter omnes excellat: quia tamen in ea gente primus numeratur, non erit in numero nobilium. Postquam verò in ea familia multi exemplis illius incitati, in gloriæ cupiditatem incubuerint, tum demum elucere incipiet illud nobilitatis lumen. Primus igitur gene-

generosius & magnificus, non tamen nobilis appellari solet. Vt igitur vnum, non numerum, sed numeri principium dicimus: sic illum primum, omnibus summis honoribus dignissimum, non nobilem, sed auctorem & principem nobilitatis existimamus &c. Est ergò nobilitas Genus maximis virtutibus excultum.

Errorem huiusmodi, non paucis hominibus omni tempore placitum, proprijs eiusdem Doctoris dictis, & insuper rationibus refellam, etsi præmissis ac prænarratis sacrorum & Ethnicorum sapientum sententijs fuerit redargutus. Ad demonstrandam autem huius opinationis leuitatem, verba quæ in suo Opere, vltimò loco protulit, primò assumere liceat. Mihi enim, *inquit*, satis est demonstrasse, id quod etiam fortassè sinè vllius explicatione satis apertum est: omnem generis splendorem, & familiæ claritatem, à fonte virtutis ortum habuisse. *Hoc idem etiam repetit pag. 330 his verbis.* Id tamen differui, plurimum instrumenti nobili-

tatem

tatem habere ad dignitatem: cuius tamen omnis ratio eſt à virtute petenda. *Et pag.* 294. *inquit.* Eſt igitur nobilitas dignitas generis, in quo maximæ virtutes extiterunt, vitæ communi ſalutares & commodæ.

Si nobilitas familiæ à fonte virtutis ortum habet Oſori, quomodo fieri poteſt, vt virtus eam primò habentem non nobilitet? Albedo facit parietem coloratum, igitur & albedo eſt color; aliter coloratum nequit conſtituere: ſic à pari: Virtus nobilitat familiam, ergo ſimili modo ipſa ſic clara eſt, vt omnem ſe poſſidentem nobilitet: ſicut albedo etiam primum parietem quem dealbat, coloratum conſtituit, ſic virtus adhuc illum, qui primò eam obtinet, nobilem reddit.

Itidem, homo quia homo eſt, generat hominem & non Brutum: ergo ſi virtus, vt ipſe fateris, fons eſt nobilitatis, nobilem vbi aderit conſtituet: at primus familiæ ſeu Generis tunc magna fulget virtute, igitur & magna nobilitate clarus erit.

Deinde exemplo numeri, quod pro hac tua opinatione probanda attulisti, Osori, teipsum destruis, & primum familiæ virtute clarum, nobilem volens nolens instituis. Sic enim dicis. Vt igitur vnum, non numerum, sed numeri principium dicimus: sic illum primum omnibus summis honoribus dignissimum, non nobilem, sed auctorem & principem nobilitatis existimamus.

Sed causam expendamns, quare vnus non sit numerus: ratio procul dubio est, quia numerus est multitudo, teste Calepino, & numerus plures habet vnitates, quamobrem vnus nequit esse plures: quia si plures, non vnum. nihilominus vnitas quæ est principium numeri ad idem genus spectat quantitatis discretæ, sicut numerus, vt docet Arist. 5. Meth. Idcirco contra arguentem sic concludit obiectio. Sicut vnum non est numerus, & tamen pertinet ad quantitatem discretam, sicut numerus: Sic nobilitatis principium est de genere nobilitatis, & nobilem item constituit. Tunc

enim

enim ratio ista tua verum inferret, si valeret scilicet hæc positio. Vnum est principium numeri, qui est species quantitatis discretæ, & tamen non spectat ad hanc speciem quantitatis: sic virtus est principium nobilitatis, & nihilominus nobilem non instituit. Sed positio hæc falsa est, sic & sequela quam inde trahis. Posita ergo iuxta verum sensum paritate, sic contra arguentem exemplum illud concludit. Sicut vnum non est numerus, & pertinet ad quantitatem discretam sicut numerus: sic virtus quæ est etiam per Osorium principium nobilitatis, nobilem itidem constituit, etsi tunc tantùm in primo alicuius prosapiæ reperiatur. hic est rectus differendi modus, vt Lectori patebit.

Præterea, inquit Osorius, Primus igitur generosus & magnificus, & omni virtute cumulatus, non tamen nobilis appellari solet. *Quid est hoc? Vir generosus & magnificus ac omni virtute cumulatus, quia primus est in aliqua stirpe non*

est nobilis? & quibusnam vocibus aptius quàm his, vir nobilis describi potest? Maximè erraret, si quis diceret, Primus inter homines albos, non est albus, quia primus. sic à simili. Addo: in fine Operis sui Osorius hanc litem renuit decidere. An sint anteponendi qui nullo domestico exemplo incitati, famam tamen virtutis egregiæ consecuti sunt, an illi potius qui gloriam maiorum virtute quæsitam omni pectore conseruant? est enim, *inquit*, quæstio anceps, cuius vtraque pars potest probabili ratione defendi. *tandem subdit.* Relinquitur ratio sanè difficilis ad indicandum vter alteri sit præferendus &c.

Perpendat quæso mecum Amicus Lector huius viri doctrinam: Famam, *inquit*, virtutis egregiæ consecuti sunt: *ergo homo virtute egregia famosus, non est denunciandus nobilis, quia primus in illa familia? Ratio ergo prioritatis, quæ maius indicat meritum, virum nobilitatis titulo indignum reddit? Hoc non est more*

Sapien-

Sapientum differere , ſed verbis ludere , atque nugari.

Inſuper : ſi primus in familia , virtute egregia famoſus , per Oſorium , non eſt nobilis , quomodo cum nobili poterit æquiparari, vt perarduum ſit litem decidere ? probata enim Oſorij opinione , facile eſſet hanc ferre ſententiam : nam homines nobiles his qui nobilitate carent proculdubio ſunt anteponendi : vnde quæſo iſta difficultas ? Sed hanc quæſtionem Oſorius noluit referre fideliter , eo modo quo à pluribus Sapientibus agitatur . Lis enim hæc eſt , an ſit maior nobilitas , quæ primò præclaris facinoribus obtinetur , an ea quæ ex geſtis Maiorum poſſidetur. vel , An nobilitas ſanguinis præcellat nobilitatem virtutis. Bonus autem Oſorius , vt primum in virtute nobilitate exuat , varijs & minimè aptis verbis eam referre voluit.

Tandem ad idem demonſtrandum hoc argumentum accedit . Reges ac Imperatores plurimi extiterunt , qui ob virtutem egregiam , etſi ex nobili proſapia non prodeuntes,

deuntes, præfatam obtinuerunt dignitatem. Patet hoc 1. Reg. de Saul, & Dauid. Item de Antipatro magni Alexandri successore, teste Seneca epist. 108. ad Lucillum: Archelao Macedonum; Arsace Parthorum; Cambise & Dario Persarum: Mida Phrygiæ: Ptolomeo Aegypti, & alijs pluribus Regibus, vt veterum historias legentibus patet. Secundò vt à Romanis sermonem protraham; Tarquinius Priscus eorundem Rex celeberrimus à patre mercatore originem habuit, vt testatur Val. Max. lib. 3. cap. 4. itidem Seruius Tullius qui eidem in regno successit. Augustus vir laudatissimus ex auo prodijt argentario, & ex patre adstipulatore, vt Cicero ad Q. fratrem, et Suetonius in vita illius cap. 2. et 3. scribunt. Vitellius sui generis authorem hominem libertinum habuit, vt idem Suetonius in vita illius cap. 2 tradit. Traianus neque ex claro ortus est genere, qui tamen Romani imperij fines maximè auxit, à Nerua ob virtutem, non ob genus adoptatus est, vt Dion

habet in vita illius. Pertinax optimus Imperator ex auo seruo, et patre libertino, qui negotiationem lignariam & tabernam coctiliciam in Liguria exercuit, originem habuit, vt tradit Iulius Capitolinus. Et vt breuitati studeam: Galerius, Maximus, Pupienus, Balbinus, Philippus, Aemilianus, Aurelianus, Probus, Bonosus, Diocletianus, Licinius, Maximianus, Valentinianus, Iustinus, Leo, Basilius, & alij plures Romanorum Imperatores, ex humili stirpe, & parentibus ignobilibus ortum habuerunt · & similiter plures Romani summi Pontifices ex ignobili prosapia nati referuntur, qui ob animi celsitudinem & egregias virtutes ad illud assumpti fuere fastigium.

Licebit ergo Pontifices summos, Orbis terrarum Imperatores, & Reges plurimos non denunciare, nobiles, quia primi fuerunt in propria familia viri egregia virtute pollentes? prudens Lector edicat. Quid absurdius, quàm nobilitatis titulo exuere Viros egregios, Reip. & Orbi vniuerso

vti·

vtilissimos, hac sola ratione, quia primi fuerunt in sua familia præclari atque famosi? Aptius fortè fuisset asserere, Viros huiusmodi, posteris suis nobiliores fuisse, quia primi: quàm eos Nobilitatis decore priuare.

Verum enimverò quemadmodum omni tempore in Orbe terrarum liuor & adulatio viguit: Sic semper apud plures, huiusmodi opinatio patrocinium obtinuit. Nam ad blandiendos nobiles ex stirpe, & deprimendos viros, virtute clarissimos, has voluerunt nugas hominibus diuulgare. Sed de his hactenus: in sequentibus theorematibus ad rem plura subnectam.

At quia Nobilitatem definientes, eam notum constituere hominem pronunciauimus: & nihilominus veteres sapientes inter notum & nobilem aliquando posuisse discrimen comperimus: etenim Cicero notum à nobili sæpè seiunxit, & præcipue in Orat. pro L. Flacco: Cæteri, *inquit*, homines apud nos noti, inter suos nobiles: *& Seneca lib. 3. de Beneficiis ait.* Qui

imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ suæ largo ordine & multis illigata flexuris in parte prima ædium collocant, noti magis quam nobiles sunt. *Quamobrem ad omnem euitandam æquiuocationẽ, scrutari oportet quæ nam sit inter vtrumque dissimilitudo.*

Perpendens autem Virorum doctrinam præfatorum, ad commendandam nobilitatem ex virtute prouenientem ea dicta fuisse animaduerti: nam notus potest quis fieri copia diuitiarum, Maiorum claritate, vel munere Principis: sed si redundet ignauia, & propria virtute caruerit; cuius excellentia verius nobilitatis initium omni tempore fuit, notus potius quàm nobilis denunciandus erit. Hinc Ethnici veram ignorantes Deitatem, eos qui olim magna virtute floruerant, Deos nuncupare, statuasque illis erigere, quod est nobilitatis insigne, voluerunt. Et ex Deorum progenie descendere gloriabantur qui nascebantur ab illis. vt Damascenus notauit lib. hæreseon circa initium. naturæ lumine animaduer-

tentes,

tentes, illam veriorem esse nobilitatem, quæ ex aliqua non vulgari, sed egregia virtute procedit.

Et quemadmodum nobilitas de rebus pluribus impropriè dicitur, vt de leonibus, imò de fructibus terræ, & de gemmis, quæ iuxta genus suum aliqua pollent præstãtia; sic quasi impropriè nobilitate gaudent, qui à nobilibus orti parentibus præter animi abiectionem, omnis prorsus sunt virtutis expertes: quapropter noti magis quàm nobiles dicendi videntur. & iuxta hunc sensum priscos sapientes inter notos & nobiles posuisse discrimen, ex his constat, quæ idem Seneca lib. 1. epistolarum epist 44. addidit. Quis ergo, *inquit*, generosus? ad virtutem benè à natura compositus: hoc vnum est intuendum. alioqui si ad vetera reuocas, nemo non inde est, ante quod nihil est. à primo mundi ortu vsque in hoc tempus perduxit nos ex splendidis sordidisque alternata series. non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. nemo in nostram gloriam vixit:

nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere. *Enimverò si quis ex nobili sit ortus progenie, careat tamen animi generositate & virtutibus, & vilis viuat atque abiectus; non nobilis, sed notus erit appellandus, quatenus cæteris hominibus ex nobili ortum esse prosapia, manifestum est.*

Sed quia de nobilitate generatim sumpta in præsenti theoremate disceptamus: dimissa illa quæ à virtute emanat, de qua theoremate tertio differemus: de ea vt suis speciebus est communis, enunciare oportet. Hæc autem variis nominibus à veteribus & recentioribus sapientibus nominata fuit. nam nobilis dicitur aliquando illustris, clarus, splendidus, sublimis, insignis, altus, inclytus, famosus, &c. Et sicut nobilitas in bonam & malam partem sumpta olim fuit, vt operis initio dictũ est: sic iuxta vtrumque sensum his vocibus nobilitatem explicarunt. etsi nunc temporis eò deuentum sit, vt nobilitas solùm pro ea, quæ laudabilis

est,

est, sumatur; & ille nunc denuncietur nobilis, qui cæteros virtutibus, diuitiis, sua aut maiorum dignitate præcellit.

Consimili modo nobilitas quandoque sumi translatè solet, ad alicuius rei excellentiam exprimendam: sicut etiam, quia contrariorum eadem est disciplina, *ignobilitas pro quacumque rerum vilitate denotanda accipitur; vt apud Virgilium egloca 9. legitur.* Si valeam meminisse, neque est ignobile carmen. *Hæc autem translatio non tantùm voci Nobilitatis, sed ferè omnibus rebus accidit. Quod duplici causa euenit: vel Orationis ornandæ, aut vocum inopia: quemadmodum Cicero de optimo Oratorum genere monuit.*

Illustrium autem hominum non est æqualis nobilitas: quidam enim simpliciter nobiles, cæteri verò Domi nobiles dicuntur. meminit horum Cicero pluries, præcipuè act. 5. in Verrem. Pillenus, *inquit,* Herbitensis, homo & disertus & prudens, & Domi nobilis. *& Salustius in Catilina.* Ad hæc multi ex Coloniis municipiis Do-

mi nobiles. *Primi illi sunt qui legibus & moribus omnium gentium nobiles denunciantur, & vbique fulgent; idque obtinent, quod apud omnes Nationes dignitatẽ habet. Sed Domi nobiles hi nuncupantur, qui apud suos nobilitate gaudent, apud exteros minimè: etsi aliunde commendabiles sint, & gratia digni: nihilominus priuato tantùm peculiarique suæ gentis more aut statuto, nobiles agnoscuntur. ita Tiraq. cap 37. ex doctrina Arist. lib. 1. polit. c. 1. eruditè refert.*

Sed priusquam ad Nobilitatis species progrediamur, hoc mihi congruenter præmittendum videtur: Arduum scilicet esse, de nobilitatis natura, ob varias hominum excogitationes ac opiniones disceptare, ac ferre sententiam. complures enim doctores virtuti soli munus tribuunt nobilitandi: cæteri adulatione decepti, sanguini cum diuitiis illud tantùm concedunt: & tanta est varietas opinantium, vt quidam ira, siue liuore ducti, etiam contra sanguinis nobilitatem insurrexisse videantur. Et insuper,

ſuper, reliqui decreta Principum in re huiuſmodi ſpernunt, & Opulentiam. Inter varias huiuſcemodi opinationes, & meam inſerere volui. Fateor autem me nullâ animi paſſione, nec adulatione, nec irâ, ad hanc proferendam ſententiam impelli, ſed ſolùm veritatis indagandæ cauſa diſſeruiſſe. Quamobrem vt potui, rem hanc accuratè conſideraui: & vetuſtam ſanguinis nobilitatem commendare; & nouam ex virtute prouenientem laudare, & inſuper Principes eam iure diſtribuendi, ad Regnorum vtilitatem atque decorem, non exuere; nec Opulentiæ ſplendorem obtenebrare, nec deprimere; ſed vnicuique gradum ſuum ac dignitatem diſtribuere æquum eſſe percepi. Sanæ mentis iudicio, hanc meam committo ſententiam.

THEOREMA SECVNDVM.
De Nobilitate ex ſanguine.

S*Anguinem in hoc Capite non accipimus ad ſolum humorem calidum & humidum intra venas hominis exiſtentem*

ſigni-

significandum. nec quatenus substantiam in ærario contentam translatè innuit: de qua Cic. in Verrem inquit: Quæ cum de Populi Rom. victu, de vectigalium neruis, de sanguine detraxisset ærarij. *neque vt ad vires denotandas assumitur: vt idem Cic. ad Att. lib.4. scripsit.* Amisimus mi Pomponi omnem succum & sanguinem. *Sed pro progenie & prosapia; iuxta quem sensum Virgilius inquit.* Sed fore qui grauidam imperiis belloque frementem Italiam regeret genus alto à sanguine Teucri, Proderet &c *Et Cicero pro Rosc. Amer.* Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis &c. *Sumitur itaque pro parentibus, auis, proauis, atque Maioribus, qui virtutibus, diuitiis, vel dignitate clari, filiis nobilitatem cnm vita transfundunt.*

Hæc sanguinis nobilitas eo maior, quo antiquior: quia tunc ex plurium hominum præstantia nascitur. & Basilius magnus serm. de Ieiunio, antiquum esse testatur

Pro-

Prouerbium: Omne per antiquitatem fieri nobilius. *Sed priuſquam de hac nobilitatis ſpecie quæ dicenda ſunt proferamus, quid ipſa ſit enarrandum eſt. Ariſtoteles & Boetius antecedenti theor. citati, Maiorum eſſe claritatem & honorabilitatem primogenitorum, ſeu laudem de parentum meritis venientem, pronunciauerunt. Quam definitionem vt aptiorem reddamus: Dicimus* illam eſſe quæ facit hominem excellere cæteros notitia & æſtimatione, ob parentum & Maiorum claritatem. *hæc definitio iuxta Philoſophorum regulas genus nobilitatis inuoluit, quod notitia & æſtimatione exprimitur: & à cæteris nobilitatis ſpeciebus, ratione claritatis à parentibus & Maioribus acceptæ, ſpecificam habet differentiam.*

Cumque, vt dictum eſt, à pluribus deſcendat Viris illuſtribus, ad excelſa exequenda opera, ad generoſitatem & magnanimitatem exercendam, aptiora habet naturalia munera huiuſcemodi nobilitas: quia ex illis progreditur qui carnem cum ſan-

cap.20. *guine ex optimis cibis genitam habent : & insuper diligenti educatione sapientum indesinenter eruditi fuerunt. Quamobrem Plato in 1. lib.* Alcibiadis. *vt refert Tiraq. inquit.* Consentaneum esse meliores esse naturas ex nobili genere, quàm ignobili.
lib. 3. Polit. cap. 8. *& Aristoteles ait.* Nobilitatem ob id in honorem haberi, quia consentaneum est ex melioribus ortos, esse meliores. *æquum quippe est existimare probum ex probis, & benè educatum in probum virum euasisse. Insunt enim in ingeniis Nobilium ex sanguine, præter subtiles ac puriores vitales spiritus, semina quædam innata virtutum, quæ nisi à superueniente voluntaria prauitate oblidantur, ad præclaros actus obeundos magnam præbent promptitudinem. ratiocinationem hanc Aristoteles comprobare*
l.5.c.1. *videtur, qui referente Laertio, tria ad solidam parandam sapientiam præcipuè esse necessaria docuit: Naturam, Doctrinam, & Exercitationem : quia inuita Minerua, & ingenio refragante, frustra etiã in rebus minimis laborabis.* Nobiles *autem ex sanguine,*

guine, nisi aliunde præpediantur, naturam aptiorem & ad sublimia facta sectanda promptiorem, magisque propensam obtinent. ideoque sapientes sunt atque prudentes, & præclaris operibus fulgent, vel fulgere tenentur.

Quod etiam historica veritate satis demonstrari potest. De Cyro enim puero referunt, fuisse in desertum missum, vt ibi fame vel Feris necaretur, quem cum Astiages Princeps Pastorum Regis Medorum fortuitò reperisset, misertus illius, pastoribus ouium nutriendum ac educandum tradidit: verùm cum filius esset Mandanes clarissimæ fœminæ, Persarum scilicet & Medorum Regis filiæ, factus prouectioris ætatis, inter pastores regiam exercebat potestatem, velut iudex illorum: tandem cognitus, post varios casus, Persarum regnum obtinuit: vrgebant enim illum, vt regia inter pastores vteretur forma, scintillæ regiæ claritatis, quæ in carne & sanguine eius, à natura insitæ fuerant. Tarca. lib. 8.

Eadem de Romulo & Remo primis conditο-

ditoribus Vrbis historiæ referunt Romanorum. Hi cum infantes essent atque gemelli,
Tarca. l. 5. *iussi sunt in Tyberim proïjci ab Amulio Numitoris Fratre & Albæ regis, qui eidem imperium præripuerat: sed à muliere quadam in litore fluminis inuenti atque nutriti, Vrbis & Regni fundamenta dederunt ea animi magnitudine. quæ à sanguinis eorum claritate promebatur. & similia de pluribus aliis sæpe leguntur. Quod posita paritate, de quocunque huiusmodi nobili iuxta gradum suum denunciandum est. Sanguis enim nobilis ad præclara, & nobilior sanguis ad præclariora facta conficienda propensionem tribuit.*

Sed vltra impulsum quem posteris huiuscemodi Nobilitas intrinsecus impertit, suo exemplo, Maiorum scilicet, etiam ex-
Orat. 32. *trinsecus excitat. idcirco Cicero pro P Sextio dicebat.* Vos adolescentes qui nobiles estis, ad maiorum vestrorum imitationem excitabo. *& postea.* Omnes boni semper nobilitati fauemus, & quia vtile est Reip. nobiles esse homines dignos maiorib suis:

&

& quia valet apud nos clarorũ hominum
ſenex de Rep. meritorum memoria, etiam
mortuorum. *Geſta enim parentum atque*
Maiorum poſteros maximè agitant, vt ope-
ra conſimilia perſequantur: adeo vt, ſi ſe-
cus eueniat, pro oſtento habeatur: quemad-
modum ſcripturis ſanctis etiam edocemur.
Rebellauerant enim à Moyſis principatu
Core, Dathan, & Abiron; quare iratus
Dominus aperuit terram, & deuorauit Nu.16.
illos cum tabernaculis ſuis, deſcenderunt-
que viui in infernum operti humo, & pe-
rierunt de medio multitudinis. *Accidit*
autem vt filij Core ad patris contumaciam
non acceſſerint, nec illius veſtigia tenuerint:
quamobrem & à ſubuerſione fuerunt im-
munes. Rem huiuſmodi ſic illius ſcriptu-
ræ textus enarrat. Et factum eſt grande Nu 26.
miraculum, vt Core pereunte, filij illius
non perirent. *Sed cur ſpiritus ſanctus, qui*
ſanctarum ſcripturarum eſt auctor, filiorũ
Core conſtantiam, & à patre diſſenſum, vt
grande portentum omnibus obiicit? quia
ſcilicet opera Maiorum atque parentum

non

non sequi,cum posteros magnopere excitent, mirabile est.Cumque filij Core patris exemplum abiecerint, tanquam grande miraculum proponitur.ergo qui à nobilibus sunt orti parentibus, probi habentur & generosi, quia Maiorum suorum optima gesta sequuntur. Quod etiam Cicero Oratione 39. pro C.Rabirio Postumo retulit dicēs. Cum sit hoc generi hominum prope natura datum, vt laudem, qua fortè aliqua familià floruit, omnes ferè qui ex illa sunt stirpe, cupidissimè persequantur.

Exploratum est itaque filios nobilium ad præclara facta sequenda suorum Maiorum intrinsecus & extrinsecus impelli, qui verò huic sanæ propensioni resistunt, eosque imitari negligunt,valde redarguendi sunt; & verbis eisdem, quibus Saluator noster Iudæos improperauit. Dicebant
Ioan.8 *illi :* Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquam. *quibus Dominus:* Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. *Quid enim confert parentum nobilitas his qui vilia tenent opera, & præclara facta*

non ſequuntur illorum? imò nobiles huiuſmodi, non tantùm ad ſic operandum, verumetiam ad minima malè facta vitanda obſtringuntur: quia cum honeſta auorum & proauorum geſta ſectari debeant, ſi ſecus fecerint, eorum fama inficietur vbique: quia natura & ratio docent, filios à parentibus, & poſteros à Maioribus ſuis non debere eſſe degeneres.

Quamobrem iurè C. Marius in Oratione ſua, quæ eſt apud Saluſtium in Iugurtha, Romanorũ antiquis nobilibus, quæ ſequuntur obiecit. Atque etiam cum apud vos, aut in Senatu verba faciunt, pleraque oratione maiores suos extollunt, eorum fortia facta memorando, clariores sese putant: quod contra eſt: nam quanto vita illorum præclarior, tanto horum socordia flagitioſior. Et profecto ita se res habet: maiorum gloria poſteris quaſi lumen eſt: neque bona eorum, neque mala in occulto patitur. *Enimuerò maiorum magnificentia poſteros ad ſublimia ſuo fulgore excitat: & inde ſtudium æmulandi*

opera præclariora augeri debet. idcirco degeneres plus dedecoris malè operando acquirunt, quàm hi qui praua facientes, parentum suorum honesto carent exemplo. & insuper, si de magnificis gestis gloriari quandoque liceret, amplius se posset efferre, qui absque suorum maiorum exemplo facta habet nobilium, quàm qui clara ortus progenie, Virorum illustrium inclyta facit opera.

Nihilominus nobili ortus familia ornatam progeniem obtinet, & stirpis decorem habet: quo caret qui soli virtuti innititur, vel nobilitatem ex quocumque alio capite possidet. Testatur hoc Spiritus sanctus Eccles. 3 dicens. Ne glorieris in contumelia patris tui; non enim est tibi gloria eius confusio. gloria enim hominis ex honore patris sui: & dedecus filij, Pater sinè honore. *& Prou.* 17. Gloria filiorum Patres eorum. *Hac enim gloria potiuntur ex sanguine nobiles: & hæc deest cæteris, etsi aliunde gaudeant claritate. Verumtamen illos tantùm nobiles & imperio dignos de-*

nun-

nunciare, maximum est absurdum. Hinc factum est, vt decorem vetustæ familiæ, homines magni virtute despicere quandoque visi fuerint: quia multi liuore decepti, virtutem contemnentes, nobilitatem ad solum sanguinem redigere voluerunt. idcirco Sapientes nobilitatem ex virtute venientem sic aliquando celebrauerunt, vt eam solam esse nobilitatem, dixisse viderentur.

Hoc olim Cicero, Marius, Seneca, cæterique viri clarissimi improbabant. Fatebantur enim se de vetusta non posse gloriari familia: sed à serie Virorum nobilium reijci, & magistratibus indignos denunciari, iustè conquerebantur. Refert hoc Salustius de Coniuratione Catilinæ scribens. Ea res, *inquit,* in primis studia hominum accendit ad Consulatum mandandum M. T. Ciceroni. namque antea pleraque nobilitas inuidia æstuabat: & quasi pollui Consulatum credebat, si eum, quamuis egregius, nouus homo adeptus foret. Sed vbi periculum aduenit, inuidia atque superbia post fuere.

Imò idem Saluſtius, deinceps inuidia tabeſcens, in Oratione quam habuit in M. T. Ciceronem, præter cæteras in quas prorupit iniurias, Arpinatem reptitium & inſitum Vrbi ciuem illum denunciauit: & coniurationis Catilinæ, Conſulatum eiuſdem cauſam extitiſſe: & ſibi temere verba quæ ſequuntur aſciuiſſe. ò fortunatam natam me Conſule Romam. *Eodemque modo C. Marius etiam Arpinas, vir bellicæ fortitudinis inſignis in Oratione quam Romæ habuit, (& refertur ab eodem Saluſtio in bello Iugurthino) à Romanorum nobilibus ſimilibus contumeliis affectus eſt. nam homo nouus dicebatur, Maiorum imaginibus orbatus, & Magiſtratu indignus. Ex his quæ de his viris clariſſimis eo tempore ineptè dicta fuerunt, & conſimilibus hominibus omni tempore pariter ſæpè dicuntur, factum eſt vt ſanguinis nobilitas ſæpè ab Ethnicis & ſacris Doctoribus ferè contempta fuerit, & decor eiuſdem nobilitatis atque venuſtas, multorum ſit obſcurata ſententiis. Quamobrem ſicut decorem & orna-*

ornamentum huius nobilitatis aperimus: & sicut causam depressionis illius apud sapientes enarramus: ita reiiciendo veterum Romanorum dicta contra M T. Ciceronē, & C. Marium Arpinates, sola virtute clarissimos, hominum huius temporis inepta dicteria, quæ aduersus nobilitatem ex virtute prouenientem proferuntur, refellemus.

In historiæ suæ proemio de coniuratione Catilinæ inquit Salustius. Diuitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis est: virtus clara & æterna habetur. *Et de bello Iugurthino subdit.* Variæ sunt artes animi, quibus summa claritudo paratur. *Si virtus ò Romanorum nobiles, summè clarum ac æternum hominem reddit: cur Ciceronem virum prudentem atque doctissimum despicitis, hominem reptitium & Vrbi insitū appellantes? Si eundem egregium esse hominem in historia de coniuratione Catilinæ fatemini: cur Consulatus quasi pollui videbatur, si nouus homo, etsi egregius, illum obtinuisset? Si Catilina ad exercitum proficisci nolebat, nisi prius dolo Ciceronem inter-*

terfeciſſet: quia ſuis conſiliis multùm Reip. proficiebat, & Catilinæ officiebat, vt eadem refert hiſtoria: ſi Senatus animaduertens Reip. interitum, Ciceroni neceſſariò Conſulatum tradendum ſanciuit: cur redarguitur poſtquam Remp. à periculo eru it, quia dixit : ò fortunatam natam me Conſule Romam? *Sed ex liuore eam obiectionem nouimus deſcendiſſe, dum nobilem ex virtute, indignum Magiſtratu denuntiatis, & de veſtrorum numero nobiliũ exploditis.* Dedecet Viros Romanos, & cæteros cuiuſcumque temporis nobiles, ea quæ ſibi non cohærent, imò contradicentia pronunciare: & nobilibus ex virtute fieri aduerſos.

Quamobrem meritò Marius in ſua Oratione quam habuit, & Saluſtius in ſua refert hiſtoria, dicebat. Quod ſinè iure deſpiciunt me, faciant idem Maioribns suis, quibus, vti mihi, ex virtute nobilitas cœpit. inuident honori meo: ergo inuideant labori & innocentiæ periculis etiam meis &c. *Contemnendo igitur C. Marium, & M.T.*

M. T. Ciceronem: priscos homines Romanorum similiter despiciant: qui principiò nobilitate exsanguine carentes, sola virtute præclarum vastumque Romanorum fundarunt atque firmarunt Imperium. Turpe equidem est eos spernere qui sunt consimiles Maioribus suis. *Illi enim absque præuia sanguinis claritate, sola v rtute ac innocentia, bona omnia quibus potiebantur, pararunt. non enim maiores eorum imagines vel triumphos aut Consulatus ostentabant: sed hastas, vexilla, phaleras, alia militaria dona, præterea corporis cicatrices, quibus claritatem meruerunt. Quid ergo dicendum? eorum maiores, tunc nouos, à classe nobilium repellendos, & magistratibus fuisse indignos? vsquequo tendis liuor? mentem sic excæcas, vt intendens virtutem exuere claritate ac dignitatibus, priscos Vrbis patritios qui principium dederunt vtrique, verberes contumeliis.*

Meritò dicebat Cæsar in Oratione quam habuit de coniuratione Catilinæ, & ab eodem Salustio refertur. Profectò virtus atq;

sapientia maior in illis fuit, qui ex paruis opibus tantum imperium fecere quàm in nobis, qui ea benè parta vix retinemus. *Ergo polluitur Consulatus, quia Ciceroni & Mario datur, qui, vt ipsi dicitis, illis similes fuerunt? pudeat in Romano Senatu ista dixisse. erubescant huius temporis homines, similibus verbis contra virtutem insurgere. Detur ergo virtuti, nobilitatis ac dignitatis locus: quia illi maximè congruit.*

Confert etiam ad hoc idem probandum referre quod Marcus Cato in Oratione sua de coniuratione Catilinæ, quæ habetur ibidem, coram Senatu protulit. Nolite, *inquit*, æstimare maiores nostros armis Remp. ex parua magnam fecisse: si ita res esset, multò pulcherrimã eam nos haberemus, quippe sociorum atque ciuium præterea armorum atque equorum maior nobis copia quàm illis est. Sed alia fuere, quæ illos magnos fecere, quæ nobis nulla sunt. Domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto

neque

neque libidini obnoxius. Pro his nos habemus luxuriam atque auaritiam: publicè egestatem, priuatim opulentiam, laudamus diuitias, sequimur inertiam: inter bonos & malos nullum discrimen est. omnia virtutis præmia ambitio possidet: neque mirum vbi vos sæparatim sibi quisque consilium capitis, vbi domi voluptatibus, hic pecuniæ aut gratiæ seruitis. eo fit vt impetus fiat in vacuam Remp *Quid ergo mirum, si illius tempestatis nobiles virtuti aduersabantur, cum Maiorum suorum carerent virtutibus, imò pro virtute, vitia possiderent? Nobilitas itaque sanguinis eo tempore virtutis expers, virtutem nobilitate & Magistratibus intendebat exuere. Sed hæc monstra sunt atque portenta, quæ sicut tunc virtutem abiecerunt, sic deinde Romanam Remp. perdiderunt.*

Et ad huius sententiæ clariorem euidentiam, quæ Salustius ibidem de C. Mario scripsit, liceat referre. At C. Marium iam antea Consulatus ingens cupido exagitabat:

bat: ad quem capiendum, præter vetustatem familiæ, alia omnia abundè erant: industria, probitas, militiæ magna scientia, animus belli ingens, domi modicus libidinis, & diuitiarum victor, tantummodo gloriæ auidus ita inter bonas artes integrum ingenium breui adoleuit &c. semperque in potestatibus eo modo agitabat, vt ampliore quam gerebat dignus haberetur. *Quid amplius ad veterum atque priorum Patritiorum fortitudinem, cæterasque eorundem virtutes celebrandas poterat enarrari? plura his non habuerunt Maiores Romanorum.*

Nihilominus nobiles Romani C. Marium Consulatu indignum denunciabant. hinc factum est, vt idem Marius in Oratione quam Romæ habuit, & refertur ibidem à Salustio, multa vetustis nobilibus obijceret vitia, ignauiam, socordiam &c. Æquum enim erat, vt qui nobilitatem virtutis despicerent, nobilitatem sanguinis spretam audirent.

Ablato tamen ac dimisso liuore, & iusto

lato

lato pro veraque parte indicio; sanguinis nobilitas gloriam & decorem, & ad sublimia facta propensionem præbet posteris habentibus illam: & nobilitas ex egregia virtute & animi magnitudine prouenięns hominem cuiuscunque Magistratus ac dignitatis dignum reddit atque constituit. Et quemadmodum ex vetusta ortus familia, nobilitatem maiore cum gloria possidet: sic qui præclaris operibus & animi virtutibus fulget, etsi gloria careat Maiorum suorum, est tamen in Nobilium serie, & Magistratu dignus. Sententia auctoris.

Aduersus huiusmodi liuorem, qui apud plures Romanorum nobiles tunc præualuerat, ad Reip. damnum euitandum Lex Manlia sancita fuerat: vt Re malè gesta à nobilibus, *scilicet ex sanguine*, mandarentur nouis hominibus Magistratus. *idest sola virtute nobilibus: vt refertur ibidem à Salustio. Nouerat ergo Senatus, minimè vtile & laudabile esse, Viros, etsi sola virtute egregios atque claros ab honore Magistratus arcere: & sicut honestum non erat nec*

vtile,

vtile, ita neque iuſtum. Data ergo lex illa fuit; non ad gratiam dandam virtuti, quæ merito innititur; verùm ad corruptelam, quæ inter Romanos Patritios & equites inualuerat, præcauendam.

Verumenim verò ad vetuſtam ſanguinis nobilitatem in claris operibus conſeruandam, & ad conſulendum eidem, vt à ſuis Maioribus non degeneret: animaduertendum eſt naturam mortalium ita ſauciatam eſſe, & ad benè operandum ſic eſſe propter Adæ peccatum eueruatam, vt quamuis ex alta quis ſit ortus proſapia, & intrinſecus ad præclara operanda excitetur, attamen principiò recta indiget Sapientum virorum educatione. Hoc idem Saluſtius, etſi ſceleris Adæ inſcius, in proemio hiſtoriæ de coniuratione Catilinæ de hominũ natura ſcripſit. Omnis *inquit*, noſtra vis in animo & corpore ſita eſt. animi imperio corporis ſeruitio magis vtimur: Alterum nobis cum Diis, alterum cum beluis commune eſt. *Quare inſita & congenita in virorum nobilium natura, quacunque ad opera egregia*

gia propensione: indiget tamen boni educatoris doctrina, & sana exercitatione, vt ad actus animalis vitæ non progrediatur.

Quod etiam expendens Licurgus qui Spartanis siue Lacedæmoniis leges condidit, cum conaretur ciues suos à moribus præsentibus ad temperatiorem viuendi rationem traducere, eosque virtutis & honesti studiosos reddere: (nam erant corrupti deliciis) duos educauit catulos, eodemque patre eademque matre progenitos: quorum alterum passus est domi lautioribus vesci cibis, alterum eductum venatibus exercuit. Deinde cum ambos produxisset in forum apud multitudinem, posuit illic spinas, simul & escas aliquas delicatiores: mox emisit leporem, cum vterque raperetur ad assueta, alter ad escas, alter leporem inuadit. Annon videtis, inquit, ciues, duos catulos, cum eiusdem sint generis, tamen ob diuersam educationem admodùm dissimiles inter se euasisse, plusque ad honestatem momenti habere exercitationem, quam naturam? Proinde ne nobis quidem, Poliāt. ver.ed.

ò ciues, nobilitas quam miratur vulgus hominum, ductumque ab Hercule genus profuerit, nisi ea gesserimus, per quæ ille mortalium omnium clarissimus ac generosissimus extitit, ac per omnem vitam, quæ honesta sunt & discamus & exerceamus &c. Res quidem efficax est natura, sed potentior est institutio quæ malam naturam corrigit, & vertit in bonam.

Sed à saniori doctore qui nequit errare, ad hanc veritatem fortiùs erudimur. Etenim Spiritus sanctus Prou.27. Genus hominum sic admonet. Puer qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. erudi filium tuum, & refrigerabit te, & dabit delicias animæ tuæ. *& Eccli.22.* Confusio patris est de filio indisciplinato. *cap.* 30. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas. *& cap.* 7. Filij tibi sunt? erudi illos, & curua illos à pueritia illorum.

Meritò itaque C. Marius in Oratione quam Romæ habuit, & refertur à Salustio, dicebat. Maiores eorum omnia quæ licebat,

bat,

bat, illis reliquere; diuitias, imagines, memoriam sui præclaram: virtutem non reliquere, neque poterant. ea sola neque dono datur, neque accipitur. *Quia etsi prosapiæ decorem à suis maioribus nobiles ex sanguine sumant, & ad inclyta opera peragenda propensionem: opus autem virtutis, & parentum gesta non habent, nisi ipsi similia vel illustriora efficiant. imò, vt præmisimus, nisi posteri diligentiam bonæ educationis adhibeant, naturalis illa sanguinis recta propensio facilè cursu temporis corrumpetur, euertetur.* De bello Iug.

Aduersus nobilitatem huiuscemodi, de qua disserimus, quæ sanguinis dicitur, Iuuenalis satyra octaua insurrexit: aliam non agnoscens nobilitatem, nisi eam quæ ex virtute procedit. Omnium, quæ ad hoc ostendendum enunciat, hæc est summa.

Nobilitas sola est atque vnica Virtus.
Dic mihi Teucrorum proles, animalia muta
Quis generosa putet, nisi fortia? nempe volucrem,

Sic

Sic laudamus equum, facili cui plurima palma, &c.

Ergo vt miremur te, non tua, primum aliquid da

Quod poſſim titulis incidere præter honores, &c.

Miſerum eſt aliorũ incumbere famæ.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe

Crimen habet, quanto maior qui peccat habetur.

de Ner. loqui. Res haud mira, tamen citharedo principe mimus

Nobilis, &c.

Libera ſi dentur populo ſuffragia, quis tam

Perditus, vt dubitet Senecam præferre Neroni?

Malo Pater tibi ſit Therſites, dummodo tu ſis

Æacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas

Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achiles.

Et

Et tamen vt longè repetas longeque reuoluas

Nomen: ab infami gentem deducis asylo. ad Rô. loqu.

Maiorum primus quiſquis fuit ille tuorum,

Aut Paſtor fuit, aut illud quod dicere nolo.

Sed vt hæc omnia refellamus, & nobilitatem ex ſanguine emanantem tueamur: iuxta formam dialecticam hæc quæ ab illo obiiciuntur diſponemus. Prima ratio hæc ſit. Inter animantia muta non æſtimatur animal generoſum niſi quod virium ac vigoris habet exceſſum; igitur à ſimili, inter homines non erit nobilis, niſi qui egregius aliqua virtute refulget.

Secunda: Acta ſiue geſta magnifica nobilitatem pariunt, & hominem fama laudabilem inſtituunt: at hæc illorum ſunt qui talia operantur: ergo qui ab illis naſcuntur, ſi ea acta non habeant, nec nobilitatem habebunt.

Tertia: Plures ex viris nobilibus orti,

ut Nero &c. sunt vitiorum pleni; ergo qui nascuntur à nobilibus, nisi digna opera habeant, non sunt nobiles.

Quarta: Omnis homo sapientia, prudentia, & cæteris virtutibus famosus præferendus est cuicunque etiam ex clarissimo sanguine orto, si virtutibus fuerit expers, & vitiis insuper scatebit: ut de Seneca patet meliore Nerone: ergo nobilitas ex sola virtute procedit.

Quinta: Præstat ex humilibus parentibus nasci, sed ad virtutes pronũ, animumque generosum habere, quàm ex generosis, & vilem animum possidere: ergo nobilitas non ex sanguine, sed ex propria generositate, quam quisque possidet, procedit.

Sexta ratio: Genus Romanorum qui sanguinis nobilitate gloriabatur, à Romulo ac Remo spuriis, & ab asylo scelestorum hominum originem trahit: ergo ex sanguine non attenditur nobilitas, sed tantùm ex propriis cuiusque virtutibus.

Huiusmodi rationes, optime Lector nullius sunt roboris, ut eas perpendenti patebit:

bit: etsi ibi stylo satyrico disposita, verum inferre ostendant. Quamobrem vt eas destruamus, & veritatem quam præmisimus circa sanguinis nobilitatem amplius aperiamus, ordinatim eas resoluam.

Ad primam: negatur paritas, quia in brutis animalibus nullus habetur respectus ad genitores: quod non accidit in hominibus, apud quos viget fama parentum atque Maiorum in filiis. Præterea, gratis admissa obiicientis seu potius maledicentis similitudine. nihilominus hac eadem æquiparatione argumentum diluitur. nam si equus ab equo generoso genitus fuerit, & alter ab equo non generoso, prior nobilior sanguine (etsi impropriè) erit posteriore. nam homines qui hæc nouerunt, dicent, hic equus à generoso equo genitus est, & alter equus à vili. sic à simili &c.

Ad secundam: dicimus illam confundere & miscere duas nobilitatis species, sanguinis scilicet & virtutis. constat enim acta generosa operantis esse, at hæc ad nobilitatem virtutis pertinet: attamen qui ab

illo ortum ducit, notus est & æstimabilis, quia parentes habuit generosos: quam notitiam & æstimationem non habet qui ex ignotis natus est parentibus.

Ad tertiam. Fatemur nobiles sanguine quandoque carere nobilitate virtutis, & vitiosos esse, vt Nero &c. at quia ex parentibus clarissimis originem trahunt, noti sunt & æstimabiles; qua notitia & æstimatione caret qui ex obscuris parentibus oritur.

Ad quartam: Hæc obiectio quæstionem excitat, An ex solo sanguine nobilis expers virtutibus post habendus sit homini virtutibus ornato, sed ex ignotis parentibus orto, exemplum proponitur de Nerone & Seneca. at hæc quæstio doctrinam de nobilitate ex sanguine, quam tradidimus non inficit. concedimus digniorem esse virum ex egregia virtute nobilem, homine scelesto ex solo sanguine nobili: tamen sanguinis nobilitas inde non destruitur.

Ad quintam. Dicimus, præstare vtique virum esse egregium, & obscuros habuisse

paren-

parentes, quàm ex claris ac nobilibus nasci hominibus, & vilem habere animum: nihilominus non tollitur ab eo, ex hac vilitate animi, notitia & æstimatio, quam ex claris parentibus traxit: quia notus erit & æstimatione dignus non ob suas, sed parentum suorum egregias dotes: & hæc est nobilitas sanguinis, distincta à nobilitate virtutis, quæ ex propriis actibus pendet.

Ad vltimam: Non negamus clarissimorum hominum antiquum principium humile extitisse: at qui ab illis nati sunt, ob illustria facta nobilitatem obtinuerunt; & qui ab huiusmodi fuerunt geniti, eadem acta sequentes, duplici nobilitate gaudebant; scilicet ex propriis gestis, quæ est virtutis nobilitas: & ex illustribus parentum operibus, quæ nobilitas sanguinis dicitur. Hæc ergo nobilitatis species, inconcussa & stabilis manet.

THEOREMA TERTIVM.

De Nobilitate ex virtute proueniente.

POstquam de Nobilitate sanguinis disseruimus, ad nobilitatem ex virtute emanantem deuenimus: cuius est hæc definitio. Ea est, quæ facit hominem excellere cæteros notitia & æstimatione, ob virtutis decorem. *Cuius definitionis partes esse idoneæ traditas, constat ex his, quæ præmissis capitibus, ad rem hanc dicta fuerunt. Genus enim habet præfata definitio, & specificam differentiam.*

Solet autem virtus multipliciter vsurpari, vel vt à vitio secernitur, aliquid rectum, iustum, ac laudabile significans, de qua Arist. lib. 1. Reth. sermocinatur. vel pro animi robore & fortitudine. iuxta quẽ sensum inquit Lact. lib. de Opificio, Vir nominatur, quòd in eo maior vis est quàm in fœmina, & hinc virtus nomen accepit. *vel pro rei proprietate vnicuique insita, quæ à Philosophis passio solet nuncupari: de*

qua

qua Cicero lib. 5. de Finib. inquit. Atqui in ſenſibus eſt & ſua cuique virtus. *vel pro qualitate, quæ ex frequentatis actibus gignitur, de qua ſubtilis Doctor 3 Sent.diſt. 33. q. vnica, lit. B. ſic diſſerit* Poteſt in voluntate ex actibus eius frequenter elicitis, quædam habilitas generari inclinans ad ſimiles actus, & illam voco Virtutem. *vel pro ope & auxilio, de qua Plautus ait.* Deum virtute eundem hoſpitio accipiam. *Quandoque pro merito ſumi etiam poteſt, vt idem Plautus dixit.* Virtute formæ id euenit, vt te deceat quicquid habeas. *Virtutem, vt ad rem venit, nonniſi primo modo acceptam, nunc aſſumimus. Quod diximus, quia in re quacunque, æquiuocæ voces ſunt euitandæ, quæ errorem inducunt, & orationem reddunt obſcuram. Virtus igitur quæ nobilitatem gignit, circa quam hæc erit diſceptatio,* illa eſt quæ aliquid rectum, iuſtum, ac laudabile, à vitio & defectu ſeiunctum indicat.

Hanc Genus conſtituimus omnium operum laudabilium; ſcientiarum practicarũ

ac ſpeculatiuarum, cæterarumque bonarum artium, quæ eas habentem exornant, & Reip. commodum & vtilitatem tribuunt. ſcimus enim genus ſcientiarum ſpeculatiuarum ad virtutes cardinales non pertinere: quia vt Scotus docet 3. ſent. d. 33. qu. vnica, lit. e. non perficiunt hominem ad benè operandum. nihilominus virtus nunc à nobis ſumitur, quatenus etiam ſcientias ſpeculatiuas complectitur: quia vt infra dicemus, Viri ſpeculatiuis ſcientiis valde eruditi, & præſertim qui ad Reip. vtilitatem illis docendo vtuntur, nobiles denunciandi ſunt. Quamobrem virtutem ſic generatim conſideratam, meritò nunc debemus aſſumere, vt omnia quæ hominem virtute nobilem inſtituunt, complectamur.

Genera autem virtutum, quæ tamen alia ſubalterna inuoluunt, quatuor ſunt: ſcilicet Prudentia, Temperantia, Fortitudo, & Iuſtitia: quæ cardinales dicuntur à cardine, quo Oſtium regitur & vertitur: quia ſicut Oſtium per cardines, ſic vita hominum his virtutibus diſponitur & perficitur.

citur. Prudentia verò vt inquit Cicero 1. Offic. est rerum expetendarum vel fugiendarum scientia. *Et versatur præcipuè circa singularia & contingentia, virtutibus moralibus proprium finem & media præfigẽs. Temperantia secundùm eundem lib. 2. de inuent.* Est rationis in libidinem atque in amplios non rectos impetus animi, firma & moderata dominatio. *& 5. Tuscul ait.* Est moderatrix omnium commotionum. *Sed vt subtilis Doctor monet in 3. d. 34. q. vnica, de commotionibus concupiscibilis intelligi debet, non autem irascibilis; quia hoc est munus Fortitudinis. Quæ sic à Cicerone ibidem definitur.* Est considerata periculorum susceptio, & laborum perpessio. *vel Tuscul.* 4. Est rerum perferendarum vel affectio animi in perferendo, summæ legi parens, sinè timore. *Scotus autem eodem loco ait, fortitudinem moderari irascibilem secundum rectam rationem, vel perferendo, vnde oritur patientia: vel iurè & rectè repellendo: vnde bellicositas, & ius iustè bellandi suam habet*

bet originem. Iustitia tandem, inquit idem Cic. 5. de Finib. Est habitus animi suum cuique tribuens, atque societatem coniunctionis humanæ, munificè & æquè tuẽs. *Sed doctor subtilis ibidem, sic altiùs de iustitia disserit. Est virtus quæ inclinat hominem ad communicandum alteri: & hoc multipliciter, vel ad dandum honestè seipsum: & hæc est amicitiæ virtus, prima iustitiæ species: vel ad communicandum alteri aliquid extra seipsum: & hinc oriuntur variæ iustitiæ species: scilicet distributiua, quæ considerat qualitatem personarum: vel commutatiua quæ reddit æquiualens. aut tribuit regimen, aut subiectionem &c. vnde plures sunt iustitiæ species, quæ ad rem non veniunt: cum de virtutibus generatim sit nobis differendum.*

Verùm quia de claritate peritorum in speculatiuis scientiis infra dicemus: scientiam speculatiuam diuidi à Philosophis in Physicam, Mathematicam & Metaphysicam, paucis insinuabimus verbis: plura de his enunciare, extra rem est. hæc autem

narrauimus, quia an, & quando peritus earum nobilitetur ab illis, indicare tenemur.

Virtutem autem sic generatim acceptam, & praeclaram ac celebratissimam naturam illius explicantes prisci Sapientes, quae sequuntur protulerunt. Facultas est, inquit Arist. lib.1. Reth bonarum rerum conciliatrix & conseruatrix, benefica multarũ & grandium rerum, atque adeo omnium per omnia *Haec quamuis in homine mortali insit, est perpetua, dans nomen aeternum, mortalitatis immunis; quia etsi omnia orta occidant, ipsa tamen immortalem reddit hominem, & omni aeuo viuentem: nam virtutis memoria nunquam interitum habet, sempiternis characteribus firmata, fama omnium saeculorum cunctis gentibus innotescit, probatur, commendatur. & sicut semper laudabilis, sic semper ad posteros erudiendos viuit. cui facilis ac prompta fama venit: & è sursum datur, caelestiq; irrigatione perficitur. idcircò accidit homini, vt aliquid immortale mortali. omnia*

enim,

enim, præter eam ſunt fortunæ dominationi ſubiecta : hæc autem nec eripi, nec ſurripi poteſt : neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempeſtatum, ſiue temporũ permutatione mutatur : ſed magno pretio æſtimatur vbique. & ſicut anima corpus, ſic iſta animam viuificat. nec aliquid tam altè natura conſtituit, quod virtus non poſſit eniti. *Quamobrem Cicero in epiſtola ad Plancum aiebat.* Perge igitur vt agis, nomenque tuum commenda immortalitati: atq; hæc omnia, quæ habent ſpeciem gloriæ collecta ex inaniſſimis ſplendoris inſignibus contemne, breuia, fugacia, & caduca exiſtima: verum decus in virtute poſitum eſt, quæ maximè illuſtratur magnis in Remp. meritis. *Et lib. de amic. inquit.* Nihil virtute amabilius: nihil eſt quòd magis alliciat homines ad diligendum: quippè cum propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam videmus, quodammodo diligamus *Viuũt enim in hominum memoria homines qui olim magna virtute floruerunt : vel virtus*

fuerit

fuerit bellorum, vel ſcientiarum, vel iuſtitiæ in regimine, vel cuiuſcumque alterius rei laudabilis ac perutilis. Vnde Plautus in duob. captiu. dixit. Qui per virtutem perit, non interit. *& Ariſt. lib.* 1. *Ethic. cap.* 10. Nulla in re mortalium tanta ineſt firmitas, tanta conſtantia, vt in iis rebus, quæ virtute geruntur. *& Seneca epiſt.* 75. Virtus regna, vrbes, prouincias temperat: fert leges, colit amicitias, inter propinquos liberoſque diſpenſat officia: modo arcto fine circumdatur paupertatis, exilii, orbitatis: non tamen minor eſt ſi exaltatiore faſtigio in priuatum, ex regio humilem ſubducitur, ex publico & ſpatioſo iure in anguſtas domos vel angulos coit.

Et lib. 2. epiſt. 85. Non ex ebore tantùm Phidias ſciebat facere ſimulachra, faciebat ex ære: ſi marmor illi, ſi adhuc viliorem materiã attuliſſes, feciſſet quale ex illa optimum fieri poſſet: ſic ſapiens virtutem, ſi licebit in diuitiis explicabit; ſi minus in paupertate: ſi poterit in patria: ſi minus in exilio: ſi poterit imperator, ſi

m nus

minus miles: si poterit integer, si minus debilis: quamcunque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficit. *&* *epist* 83 Vis Solis & lux integra est, etiam inter opposita: & quamuis aliquid interiaceat quod nos prohibeat eius adspectu, in opere est, cursu suo fertur. quoties inter nubila luxit, non est sereno minor: nec tardior quidem, quoniam multùm interest vtrum aliquid obstet tantùm an impediat. Eodem modo virtuti opposita nihil detrahunt. non est minor, sed minus fulget, nobis forsitan non æquè apparet ac nitet. sibi eadem est, & more Solis obscuri, in occultu vim suam exercet.

Quis ergo enunciare audebit virtutem se habentem non nobilitare, cum eousque tendat, vt mortalem fulciat immortalitate? Verùm quia non eodem gradu ab hominibus colitur, idcirco nec eodem modo nobilitat. Quamobrem sicut inter homines illustres, quidam Domi nobiles, & cæteri absolutè nobiles denunciantur: sic virtus quia multifariam multisque modis ab hominibus

exer-

exercetur, non æquè illos ornat atque decorat.

De speculatiuis ergo scientiis primò sententiam feramus; quæ à numero virtutum quodammodo videntur explodi. his enim homo, etsi valde peritus, non absolutè, sed Domi nobilis erit: nisi illis vtatur ad vniuersalis hominum Reip. vtilitatem, non solùm ore docendo, sed & typis tradendo eam doctrinam, quæ apta sit ad omnes erudiendos homines: & proinde pluribus Gentibus fiat notus, & ab eisdem æstimatione dignus habeatur. Et quia omnis Qualitas gradibus constat, & suscipit magis & minus: sic nobilitas huiusmodi scientiarum, maior & minor erit, prout peritorum pronunciabit prudentia: & sua quemlibet recta docebit conscientia.

Eodemque modo de cunctis præclaris facinoribus, atque virtutibus adiudicandum est. erit enim in re huiuscemodi communis ac verissima Regula: Illud facinus, eamque virtutem hominem absolutè nobilem constituere, quæ vel ad commune vti-

vtilitatem refertur: vel coram omni Rep. fulget, & ſpectabilis cernitur atque laudabilis. Si autem apud ſuos tantùm quiſque hanc claritatem habuerit, Domi nobilis ſolùm denunciari meretur.

Veruntamen hoc eſt animaduertendum: nullum opus, nullamque facultatem, quæ hominem reddit nobilem, eam eſſe poſſe, quæ vile habet obiectum. quoniam ſi quis in re agraria, ſutoria, ſarcinatoria, publicanorum, mercium, & ſimilium adeò excelleret, vt pluribus eſſet Gentibus manifeſtus & notus: nihilominus nobilitate non gauderet, quia nihil inde apparet magnificum, generoſum, ſpectabile, & æſtimatione dignum. Quare Dionyſius Halicarnaſſeus, vt Tiraq. cap. 2. refert, veteres Romanos, Romuli inſtituto, nobiles denunciaſſe Patricios, quibus munera ciuitatum committebant: ignobilibus autem & plebeis colere agros, paſcere pecora, & exercere artes quæſtuarias, mandaſſe: Præcipua autem inter Romuli leges, quæ in Capitolio fixæ erant, hæc fuit. Patres ſacra Magiſtratuſque

tusque soli peragunto ineuntoque: Plebei agros colunto *Si quis autem aliunde nobilis in suis ruribus aliquid operetur, nil nobilitati aduersum facit: imò hoc modo ex rure postea ad Magistratum, aut Academiam, vel ducendum exercitum, progredi, nobilitati consentit. id enim principiò Romani, & cæterarum Gentium Patritij fecerunt. At nil scire, generositateque carere & aptitudine ad opera magnifica, & in solis agris versari, hoc nobilitatem explodit, & ignobilem constituit.*

Militia tamen, etsi vt in priuato siue gregario milite cernitur, inter artes numeretur mechanicas: nam in bonarum artium partitione scriptum est. Lana, nemus, miles, nauigatio, rus, medicina, & ars fabrilis: omnes istæ mechanicæ sunt. *nihilominus quia sublime habet obiectum, nempe patriæ, pacis, famæ, bonorum patrocinium, & Gentium imperium: si quis generosus miles in arte bellandi, & prudentia commilitones dirigendi excellat: cum notus fiat coram Principe, vel Rep. &*

æstimatione dignus, proculdubio nobilis euadit. eò amplius quia Fortitudinis virtus ibi fulget, quæ quatenus ad militiam pertinet, in recta repulsione offendentis atque nocentis, vt præmisimus, consistit. & proinde ex militiæ magisterio, in quo summa requiritur prudentia in rectè ducendis ac gubernandis exercitibus, oritur maxima claritas: nam vt Cicero pro Muræna inquit: Omnia quæ sunt in imperio, in statu ciuitatis, ab iis defendi & firmari putantur, qui militari virtute antecellunt. *Salus enim publica in militibus est. quamobrem Cæsar lib. 6. de bello Gall. non minus in milite modestiam & continentiam, quàm virtutem atque animi magnitudinem desiderabat.*

Sed vt ad Virtutis commune Genus redeamus: Tanta fuit illius æstimatio apud priscos terrarum Orbis cultores, vt cæleste semen illam adiudicarint. Quapropter magnæ virtutis Viros ex Deorum semine procreatos Gentes autumarunt, vt de Hercule, Achille, Romulo, Alexandro Ma-

Macedone, Scipione Africano, & aliis pluribus, militari virtute, & ſcientiarũ, vel cæterarum bonarum artium egregia peritia præclaris legimus. nam Athenienſes, apud quos præcipuè ſcientiarum notitia fuit, iſta de ſe olim iactabant.

Tantaque eſt virtutis excellentia, vt Genus hominum, ſi ſinè Principe fuerit, vel Principem ſibi eligere coactum ſit, illico aliquem virtute fulgentem, qui ingenio præſtet & induſtria cuncti reſpiciant: docente illos ipſa hominum natura, vt iis ſit parendum, & ij idonei ſint ad Vrbes Regnaque moderanda, qui virtute fulgent. Et meritò quidem, nam quis leges ferre pro conſeruanda Rep. niſi ſcientia inſtructus, erit idoneus? quis Vrbes tueri, vel Reip. fines dilatare, niſi qui militari arte & virtute munitus fuerit? pacis & belli tempore Genus hominum virtute regitur & gubernatur: & omne bonum à virtute procedit: ſicut omne malum ab his qui ſunt virtutis expertes. Quomodo enim gentium lites diiudicare poterit ex quocumque ſan-

guine ortus, si virtute caruerit ad discernendum, & insuper ad resistendum iniquis?

Pro virtute autem Osorius Lusitanus lib. 2. de Nobilitate ciuili pag. 350. inquit. Quid autem inanius est hoc nobilitatis nomine si virtutis ornamenta subtraxeris, atque veræ gloriæ fructum? Virtute autem etiam à generis claritate seiuncta, nihil in vita præstabilius, nihil homini melius, nihil naturæ accommodatius, quæ per se splendet semper, & pulsa loco manet, nec vllo in tempore potest dignitatis possessione depelli. *Tamen Vir iste, & plures omni tempore cum eo, deinde suimet obliti, Virtutem non nobilitare hominem enunciare non sunt veriti: etsi, vt ipsi fatentur, ea per se splendeat semper. contradicentia enim eos prodere, quis non videt? dum id* quod semper splendet, *cum innouis inest hominibus,* non splendere dicunt: *sed solùm in illis elucere, qui à viris virtute magnis, pluribus descendendo distant quodammodo gradibus. Quid est hoc, nisi prius laudare, & immediatè post vituperare virtutem*

tutem? Quod per ſe eſt tale, vbicunque ponatur tale eſt, *ferunt communi ſenſu Philoſophi*: *ſi virtus* per ſe ſplendet ſemper; *quemcunque virtutem habentem illico clarificat, nobilitat & illuſtrem facit: quæ ſunt verba æquiualentia & ſynonima.*

Et præterea: Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, 2. *Poſt. ſi familiæ & progenies virtute nobilitantur, & ſanguis ſinè virtute inanis redditur: igitur eo amplius nobilitas in virtute conſiſtit.*

Idem Saluſtius in proemio de coniuratione Catilinæ, in virtutis laudem erumpens, ait. Quæ homines arant, nauigant, ædificant, virtuti omnia parant. *attamen inuidia commotus, vt ipſe in ſuamet hiſtoria volens nolens fatetur, vna cum pluribus Romanorum nobilibus olim C. Marium virtute militari, & M. T. Ciceronem ſapientia, prudentia, eloquentia, ac Gentilium innocentia viros egregios, nobilitate & dignitate, nouitatis colore ſpoliare præſumpſit. Quo autem ſpiritu ducantur etiam poſteriores eiuſdem opinationis homi-*

nes ad consentiendum & communicandum illis, ipsi videant.

THEOREMA QVARTVM.

De nobilitate ex beneficentia Principis orta.

CVm principiò dixerimus Nobilitatem generatim acceptam in eo consistere, vt notum & æstimatione dignum hominem instituat: consequens est, vt Princeps, homines quos voluerit si inepti non fuerint, nobilitare valeat. nam facultatem ac vires habet ea distribuendi, quæ illos notos & æstimabiles reddunt, dignitates videlicet, Magistratum, regimen, diuitias, opportunitatem omnibus notificandi virtutem, quam quis aptitudine possidet: igitur & nobilitatem Huius autem nobilitatis speciei hæc est definitio. Ea est, quæ hominem facit excellere cæteros notitia & æstimatione ex Principis beneficentia.

Principes autem duplicis sunt generis, sacri & ciuiles. primi sunt, sũmus Pontifex

fex, Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi. ciuiles verò principes duplicis ſunt ordinis; abſoluti & nulli ſubordinati in genere ciuilis dominij, vt Imperator, Reges, & cæteri principes, qui erga ſubditos abſolutam obtinent poteſtatem: quidam verò ſunt ſubordinati, & regimen retinent ſub abſoluti principis moderamine, vt Marchiones, Duces, Comites, Barones & conſimiles. Nunc itaque conſiderandum eſt, quibus Principibus, huiuſmodi nobilitandi poteſtas inſit: & quam nobilitatem poſſit quiſque partiri.

Perſpicuum eſt & indubitatum, Pontificem maximum ſummè & abſolutè nobiles poſſe inſtituere: quia dignitates diſtribuit in Orbe terrarum notas, & ab eodem Orbe magna æſtimatione venerandas, quas ſupra connumerauimus. idem autem & Dominobiles quandoque inſtituit: nam Eccleſiaſticas dignitates, quæ ſunt infra Epiſcopatũ, in particularibus vrbibus & locis diſtribuit, quæ illos in locis præfatis notos ac æſtimabiles reddunt.

Cardinales & Parriarchæ, similiter absolutè nobiles sancire valent, quia Archiepiscopos, Episcopos, & Equites creant, sumpta à summ Pontifice potestate.& plerosque Dominobiles, cùm varias dignitates honoresque tribuunt. Archiepiscopi & Episcopi, Dominobiles possunt in suis Diœcesibus decernere, cum munera ecclesiastica conferunt ordinando scilicet Archipræsbiteros, *Præsbiteros*, Archidiaconos *&c..quorum potestas etsi sit summè venerabilis, quia diuina præ manibus habet, & ministri sunt Christianæ Reip.dum Deo offerunt pro populo sacrificium*, quod consistit in externa oblatione rei sensibilis, soli Dec facta in Altari à Sacerdote, vt ministro publico. *nihilominus quia in suis manent ciuitatibus, nec fiunt vbique terrarum, vel saltem pluribus Gentibus noti; idcircò non absolutè, sed Dominobiles nuncupandi videntur. Si autem potestas huiusmodi in se spectetur, absolutè nobiles illi dicendi sunt, ob maximam æstimationem, qua digni sunt: & quia id habent, per quod, etsi apud suos*

sint

ſint tantùm noti, poſſunt tamen fieri tales vbique terrarum: ſed quia coarctatur reſidentia eorum, vt plurimum in vrbe aliqua ſingulari, ideò potius Dominobiles dicendi ſunt omnes Eccleſiæ miniſtri, præter Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, Cardinales, & ſummum Pontificem, qui Eccleſiæ principatu gaudent: & ſummus Pontifex præſertim, qui omnium gentium & totius Orbis terræ Princeps, Paſtor, & Pater exiſtit. nam etſi multi in Orbe ſint infideles, qui illi non parent, tenentur tamen illi ſubeſſe, ſicut & legem Euangelicam ſatis promulgatam recipere & exequi obſtringuntur: quæ illi talem tribuit poteſtatem, & hominibus eam mandat ſubiectionem.

Nec deſunt qui de nobilitate ſcripſerunt, Eccleſiæ miniſtros vix ex ordine plebis excipere, & ſicco veſtigio circa rem huiuſcemodi ſic pertranſire (inter quos Tiraq. cap. 9.) quaſi nobilitatis titulo inſignitos eos denunciare non audeant. velut ſi Forum Templo nobilius eſſet, & Magiſtratus ciuilis dignior Sacerdotum corona: vel quæ tra-

ctant

ctant laici, nobiliora essent his quæ Ecclesiæ ministri exhibent, & præ manibus habent: vel munera illorum magis publica essent, & maiori solemnitate fierent.

Sed, vt verum fatear, parum bonitatis, minorem diuinarum rerum notitiam, minimam erga Christum Deum & Saluatorem nostrum dilectionem & gratitudinem se tenere ostendunt, qui potius ad deprimendos, quàm honorandos Ecclesiæ ministros proni verbis vel scriptis apparent. quia scriptum est: Qui *vos spernit, me spernit. Luc.* 10. *Sed audiant sententiam Domini:* Quicunque glorificauerit me glorificabo eos: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. 1. *Reg. cap.* 2.

Nec prodest occurrere, quosdam ex Clero, absque nobilitatis decore & nobilium moribus spectari: nam eodem modo plures etiam sanguine nobiles sunt huiusmodi. Quæ enim raro accidunt, rerum naturas non euertunt nec perimunt.

Sed ad ciuiles Principes redeamus. hi, vt præmisimus, vel absolutum dominium ciuile

uile habent, vel subordinatum: priores absolutè nobiles, & dominobiles possunt statuere, quia plures ac varia munera distribuunt. Cùm alicui viro id tribuunt, quo ferè vbique locorum sit notus & æstimatione dignus, tunc eundem absolutè nobilem instituunt: cum autem aliquid concedunt, vt quis apud suos tantùm notus sit & æstimabilis, tunc dominobilem firmant. Et quo maior est Princeps, eo ampliorem nobilitatem distribuit, vt ratio cuicunque ostendit. Qui autem principatu gaudent subordinato, vt sunt Marchiones, Duces & consimiles, Dominobiles stabilire valent: quia illi apud suos solùm noti & æstimabiles fiunt.

Ex his quæ præmisimus, etiam huius litis oritur decisio. An particularium Prouinciarum consuetudines ad nobilitandum institutæ, nobiles verè constituant. Etenim si consuetudines illæ id habent, vt vbique sint notæ, laudabiles, & æstimabiles, absolutam tribuunt nobilitatem: sin autem, Dominobiles instituere possunt, & præterea

nihil.

nihil. etsi hi Domini nobiles digniores sint illis, qui in eodem genere in singularibus vrbibus suis, eodem potiuntur honore.

Aduersus hanc quam præmisimus doctrinam, adest Osorius Lusitanus, qui lib. 2. de nobilitate ciuili pag. 331. nobilitatem eam solam esse quæ ex sanguine procedit, cùm in aliqua cernitur familia, vbi plures aliqua fuerint clari virtute. deinde pag. 341. primùm nobilitandi potestatem Principi tribuere videtur, dicens. Quid enim esset indignius quàm nullum præmium propter magna merita, claris in Rep. viris esse constitutum? aut quod præmium excogitabis quo virtuti satis-fieri aliqua ex parte possit, præter hoc dignitatis & gloriæ? Quid deinde magis regium est, magisque magnificum, quam virtuti debitum dare testimonium, & titulis honestare dignitatem. vt hoc modo, tum iustitia conseruetur, tum etiam complures in studium virtutis acrius incitentur? *at deinceps pag. 344. quod affirmauerat destruit. ait enim.* Vt igitur in institu-

tum

tum sermonem redeamus, non poteſt Princeps efficere, vt abiectus animus atque demiſſus ad rerum maximarum gloriam aspiret. poteſt tamen magnum animum & excelsum debitis ornamentis afficere itaque non tam tribuit nobilitatem quàm iam præclare inſtitutam nobilitatis rationem, & ſingularem animi magnitudinem, egregiæque virtutis aut artis præſtantiam honoribus debitis honeſtam & illuſtrem reddit. Idcircò cùm antecedunt merita, tum hæc grauiſſima Principum iudicia ritè conſequuntur &c.

Primò vir iſte quæ ſibi non cohærent profert: nam ſi quis aliqua virtute præditus, à Principe nobilis poterit declarari, ergo primus in aliqua familia poterit eſſe nobilis ſi virtute claruerit, quod ipſe ſupra negauit. Secundò dicit, principem illum tantùm poſſe nobilem inſtituere, qui iam præclare inſtitutam nobilitatis rationem habet, & ſingularem animi magnitudinem, egregiæque virtutis aut artis præſtantiam: at hæc eſt nobilitas quæ à virtute, non quæ à

Prin-

Principis beneficentia procedit; Vir iste non habet in sua doctrina constantiam, quia de nobilitatis natura verum sensum non videtur obtinuisse: quapropter rem eandem nunc affirmare, nunc negare cogitur.

Pro nostra igitur sententia nobis probandum est, Principem beneficentia sua, aliquem nobilitare posse, etsi virtutis vel sanguinis vel opulentiæ nobilitate careat. Æquum autem ac rationi consonum esse fatemur, vt Princeps nobilitati virtutis & suam ex beneficentia addat: sed quia hæc specie differt ab ea quæ ex virtute progreditur: idcircò eam esse veram nobilitatem, quæ ex sola Principis beneficentia oritur seorsum à virtute vel sanguine, vel opulentia, superest vt ostendamus.

Potest autem sacer vel ciuilis Princeps Magistratum sacrum vel ciuilem alicui tribuere, vel aliquod aliud munus, vt fiat pluribus Gentibus notus & æstimabilis, qui nec sanguinis, nec virtutis vel opulentiæ claritudinem habeat, igitur & nobilem eundem instituet ea nobilitate quæ à sanguine

guine & virtute ac opulentia secernitur. Hæc positio vera est apud vtrumque Principem, sacrum scilicet & ciuilem, eo modo quo de vtroque præmissum ac enarratum est. nam principes sacri varias potestates & plura munera distribuunt, quæ hominem vel absolutè, vel dominobilem decernunt. Principes itidem ciuiles eodem modo, vt dictum est, honesta officia possunt hominibus partiri, ergo & nobilitare. Sequela euidens est, & experientia manifesta redditur.

Obiiciunt autem huic positioni nostræ, qui hanc nobilitatis speciem de qua disceptamus respuunt, hoc modo. Princeps hominem ex stulto sapientem, ex elingui disertum, ex ignauo impigrum & audacem ex beneficio nequit instituere, ita ex ignobili non poterit facere nobilem. Cuius opinionis fuisse videtur etiam Gregorius Nazianzenus qui Oratione in Maximum Philosophum Cynicum de nobilitate differens ait. Nam quartũ illud nobilitatis genus, quod in Principum diplomatibus edictisq; con-

sistit,

ſiſtit, tum vllo loco ac pretio habeo, cum pictam formæ eligantiam laudandam duxero: ſimiamque ob id reuereri cœpero, quod leo eſſe iuſſa ſit.

Et ſimiliter de quodam refertur ruſtico, qui à ſuo Principe nobilitatem poſtulauerat, reſponſum accepiſſe, se diuitem non autem nobilem fieri poſſe *Nobilitas ergo hæc quæ ex beneficentia Principis originem habet, ruere ac euaneſcere videtur.*

Nihilominus ipſa manet, & vera eſt nobilitatis ſpecies: quoniam exemplum illud primò obiectum, ſcilicet de ſtulto ſapientem, de elingui diſertum, de ignauo audacem nemo poteſt inſtituere, ſic nec Princeps ex ignobili nobilem neminem reddere nequit, non facit ad rem, imò eſt valde diſſimile. quia ſtultus ad ſapientiam, elinguis ad facundiam, & ignauus ad audaciam, repugnantiam habet ac indiſpoſitionem: at homo qui à Principe nobilis inſtituitur, etſi nobilitate caruerit, diſpoſitionem tamen dicimus ad illam habere: non enim Gerulos & ineptos homines inſtituũt nobi-

nobiles, sed eos qui naturam honestis artibus pronam habent. Quamobrem exemplum nil contra positionem nostram affert. Et quia hoc modo ineptus erat ille rusticus, qui à Principe nobilitatem requisierat, idcircò meritò audiuit, se diuitem, non nobilem fieri posse.

Ad ea, quæ Gregorius Nazianzenus *aduersus hanc nobilitatem protulit, resoluenda, aduertendum esse dicimus: ipsum tunc in ea Oratione quam in Maximum habuit, nil aliud docere voluisse: quàm Christianum hominem, ad æterna præmia aspirantem, nec sanguinis nobilitatem, nec Principum beneficentiam æstimare, sed solam virtutem, cuius præmium est beatitudo: vt eam Orationem legenti patebit. non enim tunc de nobilitatis natura & speciebus ex instituto differit, sed illorum conditionem tantùm describit, qui felicitatem æternam æstimant & expetunt. Et insuper eos nobiles à Principibus institutos improbat qui ad virtutem ineptitudinem, & ad vitia promptitudinem possident. ideoque non no-*

bilitatis ſpeciem, verùm prauos homines illam doloſè obtinentes improperat.

Sed quia nonnulli, qui in magnis ſunt geniti Vrbibus, ſe à Patria eſſe nobilitatos autumant, & de re huiuſcemodi gloriantur, & his, qui in obſcuris nati ſunt locis, hoc velut quid fœdum obiiciunt, eiſque id improperare fas exiſtimant: idcircò de re hac diſceptare quodammodo ſumus obſtricti: quia veræ nobilitatis originem aperire polliciti ſumus.

Perſpicuum cunctis eſt intelligentibus, ex magnis atque nobilibus Vrbibus ortum ducere, magnùm eſſe naturæ beneficium: quia homines ſub prudentiori iudicio conſtituti, maiorem ſentiunt prouidentiam. Viget enim in huiuſmodi Vrbibus plurimorum virorum claritas: acta generoſa atque magnifica aſſiduè ſpectantur: ruſticitas abeſt: elegantia rerum, & bonarum artiū diſciplina adeſt: quibus qui obſcuris naſcuntur in locis, carent atque priuantur. Quamobrem naturæ beneficium non minimū cernitur eſſe, ex magnis, ſplendidis, ac nobili-

bilibus vrbibus habere originem. igitur, inquiunt, ficut patria hominem felicem, fic etiam nobilem reddit.

Sed ab hac felicitate ad nobilitatem pertranfire non licet: quoniam aliud eft cernere, contemplari, ac frui quod cæteri obtinent, quibus nobilitantur; & aliud eft poffidere quod claritatem tribuit. magnifica fpectantur in Vrbibus; fpectator tamen vilis effe poteft ac pufillanimis. Bonæ & laudabiles artes in illis funt, verùm plures ibi reperiuntur inertes. Rufticitas morum, vt plurimùm, abeft ab Vrbibus, & elegantia adeft: nihilominùs multi funt ciues finè elegantia cum rufticitate. Quid ergo dicendum? hoc vtique. In Vrbibus nempe ortos, opportunitatem & exemplum efficax ad generofa atque magnifica, ad praua euitanda, & laudabilia fectanda obtinere, quibus carent qui in obfcuro nati funt loco. Sicut ergo commendandus erit, qui præclara gefta, quæ in vrbe fpectantur, imitator extiterit: fic vituperabilis eft, qui etfi magnifica facta cernat, ipfe tamen in fordibus manet acti-

bus. & è contra: ſicut qui in obſcuro loco oritur, & præclara geſta non habet, quia caret exemplo, excuſatione dignus cenſetur: ſic qui generoſus fuerit, & virorum illuſtrium facta tenuerit, maiori dignus laude eo apparebit, qui in vrbe præclara, vbi fortia bonorum facinorum vigent exempla, habuit originem.

Enimuerò ſi Patria, quia patria eſt, hominem inſtitueret nobilem; omnis qui in ea ortus eſt patria, nobilitate gauderet. ſed quot in vrbibus illuſtribus ſunt homines inepti, moribus ac virtutibus obſcuri? expertus edicat. Nullam ergo clara Patria nobilitatem tribuit, etſi apertum ſit nobilitatis exemplum. Qui enim in obſcuris orti ſunt locis, nobilium geſtorum exemplo carentes, & generoſi ac præclari in operibus cernuntur, maiore digni ſunt laude; honeſtiore ſunt induendi decore, & maiori præmio condecorandi, quia nobiliorem animi indolem ſe habere oſtendunt.

Quamobrem vt Stobæus refert. ſerm. 84 Anacharſis Philoſophus cum Scytha eſſet.

&

& origine barbarus cuidam id ſibi obiicienti reſpondit. Scytha ſum genere, non moribus. *& alteri dixit:* Mihi quidem patria dedecori eſt; tu verò patriæ. *Et Seriphius qui Themiſtoclo obiecit, ſe non actibus, ſed patriæ ſplendore glorioſum eſſe: hæc audiuit.* Neque tu ſi Athenienſis eſſes, clarus extitiſſes; neque ego ſi Seriphius eſſem, ignobilis. *Ideoque M. T. Cicero Orat. 14. pro A Cluentio Auito dicebat.* Etiam quærimur ſæpe, hominibus nouis non ſatis magnos in hac ciuitate eſſe fructus; nego vsquam vnquam fuiſſe maiores. vbi ſi quis ignobili loco natus, ita viuat, vt nobilitatis dignitatem virtute tueri poſſe tueatur, vſque eò peruenit, quoad eum induſtria cum innocentia proſecuta eſt.

Iactantia igitur de Patriæ claritate, ſi obiectiuam felicitatem reſpiciat, iuſta eſt: potitur quippe ciuis, ſicut poteſt, omnibus patriæ bonis & claritudine: & ſpectator ibi eſt magnarum rerum laudabilium. Si autem is qui ciuis eſt, putet Patriæ virtutibus ornari, & clarorum hominum, qui

in illa sunt, vel extiterunt, meritum habere: & ipse ineptus sit ac virtutibus expers; maximè errat.

THEOREMA QVINTVM.

De Nobilitate ex opulentia prodeunte.

Opulentiam, non pro quacunque diuitiarum abundantia sumimus, sed vt magnam rerum copiam significat, quæ hominem plerisque Gentibus ac nationibus cognitum reddit, eam nunc vsurpamus. Constat enim plures plebeios diuites esse, & pecuniarum possidere copiam: hanc tamen ad hominem instituendum clarum, insufficientem esse fatemur: nam plures sunt homines in ciuitatibus, qui bonis stabilibus & mobilibus abundant: nihilominus eam bonorum copiam non habent, quæ ferè vbique, vel saltem apud plures nationes notos & æstimabiles illos instituat, vt experientia instruit. Nec tamen lis in hoc sita est; sed, An posita in aliquo quacumque diuitiarum copia vndique nota, ipsa homini nobi-

nobilitatem pariat. nos, vt principiò diximus, partem affirmantẽ tuemur. Sed priusquam cætera afferamus ad litem hanc pertinentia, quæ sit huius nobilitatis definitio indicare obstringimur. Illa ergo est, quæ facit hominem excellere cœteros notitia & æstimatione ob magnarum copiam diuitiarum.

Diuitiæ, iuxta nominis etimologiam, à Diuinitatis vestigio nomen assumunt: & diues dicitur quasi diuus. etenim qui diues est, velut Deus nemine indigere quodammodo videtur, teste Varrone. & quia Deus sua inenarrabili prouidentia omnibus opitulatur, sic diuitibus pauperes à miseria subleuare congruit. Hæc ergo nominis etimologia ad rem venit, quia ad clarificandum diuitem tendit: quamobrem ex sola diuitiarum nomenclatura hominem opulentum nobilem esse diuitiis, quasi necessariò infertur.

Sed quia in scripturis Sanctis quandoq; diuitiæ damnari videntur: nam Eccl. 8. legimus: Multos enim perdidit aurum

 &

& argentum. *considerandum ergo est, non diuitias, nec illarum vsum, sed abusum reprobari: quare Augustinus super Psal. 61. sic de illis sermocinatur.* Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere: illæ igitur qui non habet, non ambiat: is qui habet non superbiat: & non dicit nolite habere, sed cor apponere: non enim damnat diuitias, sed cor appositum; quod scilicet non expendit sed recondit. *& serm.* 24. Difficile est, vt non sit superbus diues: tolle superbiam & non nocebunt diuitiæ. *Chrysostom. in hom* Diuitiæ non sunt peccatum, sed peccatum est eas non distribuere pauperibus. *Et Ambrosius in Lucam*: Diuitiæ, vt impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutum. *Patet ergo non diuitias, sed prauum illarum vsum fuisse improbatum.*

Plures autem Doctores, diuitias nobilitatem inferre non posse opinati sunt, ea ducti ratione, quia viles sunt, & in vilissimas personas ac infames, dignitatum prorsus incapaces cadunt: & quod vile est, inquiunt,

quiunt , hominem clarum reddere nequit. pluraque huiusmodi dicteria addunt ad huius opinationis patrocinium: quæ tamen nostræ non contradicunt doctrinæ, quam de Opulentiæ nobilitate tradimus. illi enim non de diuitiarum affluentia, nos verò de magna opulentia, quæ hominem pluribus Gentibus notun ac æstimabilem reddit, loquimur: idcircò hac præmissa distinctione, & veritatem stabilimus, eosdemque vt aduersarios non suscipimus.

Hæc autem magna opulentia vilitatem respuit & infamiam: quia, vt ita dicam, impossibile est vt ea familia honesta non sit, & homo ille, qui tanta abundat diuitiarum copia, vt apud plures Gentes notus sit ac æstimandus, suo non gaudeat decore. Cum ergo alterius partis Doctores aiunt, nihil honoris & dignitatis habere diuitias: hoc de modica diuitiarum copia, non de ea quam nos hanc nobilitatis speciem constituere affirmamus, intelligendum est. Quis enim enunciare audebit, hominem maximarum diuitiarum, ferè vbique notum

decore

decore carere & æstimatione? posita ergo hac, quam exhibemus, diuitiarum distinctione, quæ sunt obiecta facilè euanescunt.

Solon enim, vt Arist. *tradit. lib 3. polit. cap. 10 magistratus omnes suis legibus, ex nobilibus & diuitibus instituit: quomodo ergo diuitiæ non sunt honoris ac dignitatis capaces? maxima ergo opulentia si in homine sit, qui sanguinis, & virtutis, ac ea quæ ex beneficentia Principis oritur claritudine careat, hac tamen nobilitatis specie de qua loquimur, illustris erit.*

Si quis autem opulentia huiuscemodi abutatur, nihilominus à numero nobilium non erit reiiciendus: quia ea ratione semper notus erit & æstimabilis, fama tamen honestorum diuitum carens erit. patet hoc à simili. Etenim secundùm iura, ob infamiam, quæcunque perditur nobilitas: at hoc non de natura nobilitatis intelligendum est: quia nisi ratio notitiæ & æstimationis auferatur, nec nobilitas anferri poterit: sed de nobiliũ priuilegiis: quia infamis perdit propter facinora priuilegia nobilium. sic à simili: Vir

magnæ

magnæ opulentiæ, etsi in dispensatione earum damnabilis esset, tamen ob manentem notitiam & æstimationem, quæ ratio est nobilitatis, stabit ipsa nobilitas.

Ad huiuscemodi nobilitatis speciem fortius firmandam, quæ Salomon Eccles. 7. diuitiarum proprietatem enarrans scripsit, afferre opus est. Vtilior, *inquit*, est sapientia cum diuitiis, & magis prodest videntibus Solem. Sicut enim protegit sapientia sic protegit pecunia. *Si ergo ex diuitiis protectionem & vtilitatem homines sumere dicuntur, non erunt ergo diuitiæ nobilitati aduersæ: nec damnum dabunt possessori suo. Sed si quis earum habuerit copiam; sicut ex illis vtilitatem & protectionem, sic & nobilitatem obtinebit.*

Et M. T. Cicero lib 1. de Offic. opes seu copiam diuitiarum, magnificentiam parere testatur. Definiens autem deinceps magnificentiam 2. de Inuen. ait: esse rerum magnarum & excelsarum cum animi ampla quadam & splendida propositione agitationem. *quod ad rem nostram maxime venit.*

nit. copia diuitiarum magnificentiã gignit: magnificentia opera magna parit & excelsa: igitur non solum copia diuitiarum suam tribuit nobilitatem : sed & aliam inducit nobilitatis speciem quæ ex virtutum actibus oritur. errant ergo qui viles & sordidas diuitias esse **denunciant.**

Superest itaq; vt ostendamus hanc præmissam opulentiam, nobilitatis speciem constituere, ab aliis nobilitatis speciebus realiter distinctam, quod hoc modo executioni mandamus. Nullum orietur absurdum, si asseramus dari posse hominem opulentia affluentem, vt pluribus reddatur Gentibus notus & æstimabilis, & nihilominus nobilitate careat sanguinis, virtutis, & eius, quæ ex beneficentia Principis oritur. hæc positio ab omni viro sensato per se nota diiudicatur : igitur sola opulentia eundem nobilem constituet ; eritque insuper vnius nobilitatis speciei causa atque principium .

Præterea potest honestus ciuis feudum aliquod obtinere à Principe, & per illud vel absolutè vel dominobilis fieri, iuxta feu-

di

di qualitatem : etsi præfatus ciuis omni nobilitate vel sanguinis , vel virtutis , vel opulentiæ , vel ex Principis beneficentia prius caruerit, tunc proculdubio , quia propter nouiter aduenientem opulentiam notus sit & æstimatione dignus , nobilis erit: ergo opulentia opulentem clarum reddit & illustrem. Opulentis tamen hominibus virtutem suademus : quia Opulentia sinè virtutibus , conuiuium est sinè colloquio.

THEOREMA SEXTVM.

De Nobilitate quæ ex prauis facinoribus habet originem.

F*Irma ac inconcussa manet in hac materia huiuscemodi Positio : Nobilitatis scilicet naturam, in ratione famosæ notitiæ, & æstimationis consistere , vt sæpe in hoc Opere ostendimus. quamobrem non erit mirum alicui , si dixerimus etiam praua facinora nobilitare facinorosos: quoniam aliud est laudabiliter famosus esse , & aliud vituperabiliter : tamen vtroque modo potest*

quis

quis esse famosus : quod similiter est de æstimatione dicendum: quia sicut ob maximum bonum aliquis æstimatione dignus erit, sic quia quis est valde perniciosus, æstimanda est malitia illius , vt fortiùs euitetur. Neque hæc dicimus, vt aliquid noui afferamus, cum veterum sapientum olim fuerit doctrina. Nam Hieron. in Heluidium, hæreticum ob superseminatam hæresum zizaniam nobilem euasisse testatur, dicens: Nobilis factus est scelere. *& Cicero* 4. *Actione in Verrem ait.* Accipite nunc aliud eius facinus nobile, & multis locis memoratum. *Et Quintus Cicero illius frater ad eundem Tullium de petitione Consulatus inquit:* Nequaquam hi sunt tam genere insignes, quàm flagitiis nobiles. *& Salustius in eundem Tullium.* Vxor sacrilega ac perjuriis nobilitata. *& alibi apud priscos sapientes hoc idem frequenter exaratum conspicitur.*

Veruntamen non quælibet praua actio hominem vituperabiliter nobilem instituit, sed solum facinus, opus scilicet insignis mali-

malitiæ, fama vulgatum, quod admirationem & æstimationem pariat.(iuxta quem sensum principiò Vitium sumpsimus, cùm diximus nobilitatem gignere) Hæc facinora sunt præcipuè hæreticorum, non tamen eorum qui aliorum sectantur hæreses, sed auctorum, scilicet hæresiarcharum: inter quos olim Machometus, & proximè elapsis annis Martinus Lutherus, & Ioannes Caluinus extiterunt. hi maximis sceleribus in plurimarum Prouinciarum perniciem redditi sunt noti seu famosi & æstimabiles: non tamen vt honorentur, sed omni tempore vituperentur. ratio tamen notitiæ & æstimationis ibi adest, idcircò & nobilitatis natura. Hoc itidem modo priscis temporibus nobilis exoptauit fieri quidam etsi virtutum expers, dum Dianæ Ephesinæ templum valde famosum incendio diruere tentauit: vt vbique terrarum notus & facinorosus æstimaretur.

Hæc nobilitatis species, sicut aliæ quas præmisimus absolutè & dominobiles habet: nam quidam aliquod perpetrant facinus,

quod

quod eos pluribus vrbibus famosum reddit: aliis verò quod vbique terrarum vel saltẽ pluribus nationibus facit notum. Posse autem hoc modo vnumquemque fieri nobilem vituperabiliter, ex his quæ prius & nunc præmisimus satis mihi probatum atque ostensum fuisse videtur.

Quamobrem monendi sunt laudabili nobilitate clari, ne ad vitia perpetranda progrediantur; quia ad hunc ordinem vituperabiliter nobilium consimiliter ibunt. Plures nobiles, quia nobiles, parum honesta operari sibi licenter permissum existimant: & quo magis sunt ad rectè generoseque operandum obstricti, eo amplius à recto tramite bonarum artium abire posse opinantur. Et qui virtutum exemplum præbere tenentur, causa corruptionis morum sæpè existunt: quia vt Gregorius 1. Moral. inquit: Cum maiores voluptati deseruiunt, minoribus lasciuiæ frena laxantur. *& qui plebis constituti sunt ob nobilitatem, honestorum operum ac bonarum artium præceptores, fiunt illis scandalum & offendiculum hinc*

fit

fit vt corruptis moribus nobilium, & vniuersa plebs vitiorum plena reddatur.

Superbiunt quandoque nobiles, & plebem & honestos ciues inflati contemnunt: hoc autem à nobilitatis natura non prouenit, sed ab eiusdem abusu. Quid habes, *inquit Apostolus 1. Cor. 4.* quod non accepisti: si accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? *omne enim donum desurtum est, Deus est qui talenta distribuit; quibusdam maiora, aliis minora, sicut vult, partitur. Turpe est autem, vt donum, quod hominem Deo magis gratum, & hominibus magis amabilem reddere debet, Deo & hominibus amplius odiosum faciat. Viros enim nobiles, clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, erectio in incessu, rancor in responsione, quæ sunt signa superbiæ, maximè dedecet & quemadmodum ista superborum sunt: sic viris nobilibus hæc velut monstra contingunt. sunt quippe nobiles plebeis altiores: at sicut honestioris sunt conditionis, sic benigniores*

1.Cor.4.

Bon. de grad. vir.

ac modestiores esse debent. Esse enim altum, & humilibus consentire, nil Deo charius, & apud homines nil rarius. nihil insolentia turpius; nil modestia pulchrius. Et Nobilibus valde congruit, quod de viris optimis dicitur. Quos vidisse erudiri est. &, Philosophus auditur dum videtur.

Ad dignitates expetendas iidem nobiles sunt etiam prompti; quòd illis iurè contingit: quoniam clementiam, generositatem, cæterasque virtutes ipsi possident, vel possidere obstringuntur; quarum homines plebei expertes sunt, quia laudabilis nobilitatis speciebus carent: igitur dignitates non plebeis, sed nobilibus hominibus plurimùm congruunt: quas autem virtutes qui non habent, proculdubio eas in dignitatibus ad proximorum vtilitatem opere complere non poterunt. Debent insuper ipsi nobiles bonis artibus & virtutibus vacare: quoniam his nisi claruerint, vitia & malas artes laudabili nobilitati aduersas assument. quia vt Salustius scripsit: Gloriam, honorem, imperium, bonus & ignauus æquè sibi exo-

De Coniurat. Catilinæ.

exoptant : ſed ille vera via nititur, huic quia bonæ artes deſunt, dolis atque fallaciis contendit. *Nobilibus ergo, ſi bonarum artium & virtutum diſciplina deficiat, cum dignitatibus, vt præmiſimus prompti ſint, ad eas obtinendas, dolos, facinora, operis & ſermonis fallaciam, ac animalem ſapientiam adiungent : & ſic à laudabili ad vitioſam nobilitatem pertranſibunt. non eſt ergo nobilitas ſeiungenda à virtute, etſi dentur nobilitatis ſpecies, quæ à virtute non habent originem.*

Ab omni quoque ruſticitatis veſtigio vir nobilis diuertere congruit, & quæcunque ignobilitatis vmbra abeſſe debet ab eo. ſunt enim ruſtici moribus agreſtes, vita ac ſermone inculto, inhumani, inſuaues, aſperi, & ſæpiſſimè feri : NVLLAMQVE HONESTATIS SED VTILITATIS POTIVS RATIONEM HABENT. *Sicut ergo nobiles à ruſticis ſeiunguntur, ſic nec in moribus eis communicare licet. Etenim in operibus* VIR NOBILIS POTIVS HONESTATEM ACTIO-

 NIS

NIS DEBET INSPICERE QVAM VTILITATIS; hunc enim agendi ordinem euertere, mercennariorum est: qui ideo operantur, vt mercedem accipiant, non vt gloriam pariant, & clariores fiant.

Et quia viri nobiles, vt dictum est, valde secernuntur à rusticis: horum conditiones, vt euitentur, enarrare non erit inutile. Rusticus is est, aiebat Theophrastus, qui hausto pharmaco in concionem nihilominus prodit, quique vnguenta non suauius fragrare thymo dicit: calceos gestat pede grandiores: voce etiam alta loqui sueuit. amicis necessariisque suis parum confidens: de rebus maximis ad famulos refert: quæcumque in concione audiuit, omnia mercennariis suis qui ruri apud ipsum opus faciunt, enunciat. Sæpe etiam veste ita supra genu subducta sedet, vt denudatæ corporis partes conspici queant. in via aliorum quidem nihil admiratur, neque vlla re obstupescit: sed si bouem, asinum, aut hircum viderit, ibi homo gradum sistit & contemplatur. Cumque aliquid è promptuaria cel-

Polyant. vel Rusticus.

la

la deprimit, decerptum inde frustum vorat, & vinum meracius potat: diligenter interim, ne hoc ancilla panifica resciscat, cauens. Deinde verò cum illa molere, & quæ sunt ad victum necessaria tum sibi, tum vniuersæ familiæ parare solet. Inter prandendum iumentis pabulum obiicit, & si quis fores pulset, ipse auscultat. Vocato etiam cane, & eius rostro manu apprehenso; hic, inquit, agrum & domum, quæque in ea sunt custodit Argentum quod ab aliquo acceperit, quasi tenue, aut nimis asperum solet reiicere, & vt alio sibi mutetur postulare. Aratrum si cui fortè vtendum dederit, aut cophinum, aut falcem, nocte intempesta illa repetet, si per insomnium fuerit eorum recordatus. In vrbem cùm venit, obuiam quemque interrogans, Quanti, ait, pelles & Salsamenta venibant? dicit etiam se simul ac descenderit, tonderi velle. Idem cantare solet in balneo, & clauis calceos suffigere: & quia eadem via erat ab Archia, Salsamenta accipere ac portare ipse moris habet.

Tandem moderamine linguæ decet viros nobiles ornatos esse. Sicut enim bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare non verba: sic quæ ipsi loquuntur, vt satis sint examinata consentaneum erit. ex verbis enim iustificabitur vel condemnabitur quisque. & quæ ore quis profert, ea etiam corde tenere, prudentibus patet. sunt enim voces signa passionum quæ sunt in anima & quemadmodum nobiles vilia operari non decet, ita nec ea similiter loqui: quia scriptum est Prouerb. 17. Qui moderatur sermones suos doctus & prudens est, & pretiosi spiritus vir eruditus. *& iterum.* In lingua sapientia dignoscitur & sensus, & scientia & doctrina in verbo sensati.


Doctrina hæc, quam de Nobilitate tradidimus, si alicui sana visa non fuerit, nec eam veritati consonam æstimauerit: cùm in re huiuscemodi variæ omni tempore fuerint opinationes, hanc poterit amplecti sententiam: Deum scilicet esse, qui terrarum orbi, cùm vult, homines tradit nobiles; & ab eo nobi-

nobilitatem procedere. nam nobilium conditiones sæpè ab his qui in Regum & Heroum ædibus naſcuntur maximè diſtare videntur. & in pluribus ex humili genere ortis, illæ refulgent: vt de Dauid patet, quem etſi ouium paſtorem, regia tamen magnificentia, pietate, & clementia nemo Principum ſuperauit. Et è contra, ex clariſſimis viris ignauos & ſocordes ſæpiſſimè legimus ortos: vt olim de Scipione magni Scipionis Africani filio referunt hiſtoriæ: qui etſi à viro generoſiſſimo natus, nihilominus viliſſimis moribus redundabat. Quod frequenter vbique terrarum accidit: ſicut vnicuique ex hiſtoriarum lectione patebit.

Hanc ſententiam, Salomon vir à Deo eruditus confirmare videtur, dicens. Puer autem eram ingenioſus, & ſortitus sum animam bonam: & cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum: & vt ſciui quoniam non aliter poſſem eſſe continens, niſi Deus det: & hoc ipſum erat ſapientiæ, ſcire cuius eſſet hoc do- Sap.8.

num. *Et Seneca lumine naturæ edoctus* ** *idem affirmauit* : Animus, *inquit*, facit nobilem, cui ex quacunque conditione supra naturam licet surgere. *Harum de Nobilitate sententiarum, quam sibi placuerit, prudens eligat Lector.*

Omnium bonorum partitori Deo honor & gloria.



DE

DE RECTA FORMA REGNANDI,

Ad Principes Laicos.

THEOREMATA.

Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis: qui habebat sex gradus & duodecim Leunculi stabant super illos hinc atque inde: non est factum tale opus in vniuersis Regnis 3. Reg cap. x.



VM Dominus Principes populi sui, naturali lege in nostris delineata cordibus, & scripturis sanctis moneat atque erudiat de recta forma iudicij, quam in subditorum regimine seruare tenentur: eisque supplicium comminetur, si secus fecerint: congruum esse existimaui, ea qua decet obseruantia, Vos commonere de his quæ à Vobis in re huiuscemodi agenda sunt atque vitanda: vt Diuinæ voluntati adhæreatis, salus vestra non clau-

claudicet, & qui Vobis subiiciuntur, suo non exuantur iure. Eo amplius quia molesta res est sceptra tractare, ac varias Gentes dirigere: ars quippe est artium, & disciplinarum disciplina: quia inter omnes animantes, homo est maximè varius & voluntate diuersus. Etenim Regna seruare, collapsa erigere, sparsa colligere, recuperare perdita, deformia reformare, & similia quæ in regimine occurrunt. perarduum est. multis enim dura arua ligonibus, multis riuis prata arentia indigent. Quamobrem diadema regni, pannum magis nobilem quàm felicem, rem miserandam potius, quàm inuidia dignam plures sapientes olim æstimarunt; quia Princeps semper est curis pluribus anxius, & amicos ac inimicos ob latentes insidias sæpè cogitur formidare. & quo maiori quis potitur Dominio, eo amplioribus quatitur tempestatibus. Enimuerò altum nauigant mare qui cæteros regunt, vbi plures oriuntur turbines atque procellæ: sicut ex aduerso in portu dicuntur sistere, qui priuatam eligunt vitam. & verum est

quod Poetarum quidam edixit : Sæpius ventis agitatur ingens Pinus , & celsæ grauiore casu decidunt Turres , feriuntq; summos fulmina montes *Sic Principes , quia priuatis sunt altiores hominibus , in pluribus curis periculisque versantur idcirco summa est Principi necessaria prudentia ; & in populis regendis , & varia iura illis administrandis magna solertia ac dexteritate indiget . Et quemadmodum qui bestias venantur , induunt se pelle ceruorum;qui aucupātur aues,plumatis vtuntur tunicis : nec Tauris nec Elephantis in veste rubra, ne irritentur apparent ; sic Princeps variis subditorum moribus & conditionibus multiformiter seipsum benefaciendo , vel puniendo , cunctis se aptare constringitur. Ad hæc igitur congrua sedulitate peragenda,duodecim quæ subsequuntur Theoremata proponuntur tenenda , quæ ad optimum regimen Deo placitum , Principi , populisque perutile habendum, necessaria esse cognoui. Quæ in Salomonis throno , in quo recta fuit figurata iustitia, contineri videntur:*

Horatius

Philo in moral.

tur : quia duodecim Leonibus ornatus ac munitus ille fuit , quibus hæc duodecim theoremata significantur. & quia de illo ob mirum artificium scriptum est , non est factum tale opus in vniuersis Regnis *: eodẽ modo Princeps , qui hæc regendo tenet theoremata , Deo erit gratus, & inter Sapientes summa prudentia ac æquitate vbique terrarum commendatos , numerabitur.*

THEOREMATA.

1 *Cultura Dei.*
2 *Iustitiæ æquabilitas.*
3 *Subditorum patrocinium & dilectio.*
4 *Abiectio munerum in Foro iudicij.*
5 *Ministrorum digna electio.*
6 *In inquirenda veritate solertia.*
7 *Subiectorum auditio.*
8 *Alacris beneficentia.*
9 *Virtutis præmium ac suffragatio.*
10. *Historica peritia.*
11. *Circumspecta clementia.*
12. *Belli iustitia vel euitatio.*

CVL-

CVLTVRA DEI

DEI cultus ac veneratio Principi duplici iure contingit : ad propriam illius salutem, quia sinè vero Dei cultu, terreno principatu expleto, in regione tartarea sicut æternam sic miserabilem subiret seruitutem. Et ad Principatus felicitatem & firmitatem obeundam. quia Religionis vnitate, fouetur hominum societas, nutritur dilectio, connectuntur voluntates, firmatur iustitia, eripitur nequitia, virtus inducitur, vitia fugantur, dissolutiones coercentur, res turbatæ sedantur, tollitur confusio; proteruia, malorum licentia, & fraudis materia auferuntur, & contumaces obedientes redduntur.

Duplici ergo via à Principe est Dei tenenda cultura, cœlesti & humana: priori modo, quia est Deo parendum, qui à nobis gratiarum tributa iustè requirit. maxima enim mandat æquitate, vt à creaturis summa Creatoris excellentia, & nostra obligatio erga illum sacro ipsius cultu protestetur.

Secundò

Secundò;quia remota à populis Religione; vnitatis, æquitatis, iustitiæ ac obedientiæ omnino aufertur ligamen. quamobrem si Princeps Dei culturam abiiciat, duplicis culpæ reus erit: quia sibi & Regno parat præcipitium.

Huic autem diuinæ culturæ, postquam Verbum Dei est caro factum, accessit erga Petri cathedram sancita obseruantia, consimiliter necessaria Principi; quia mandato Domini ea omnib. præest hominibus. illi enim dictum est, Quodcunque ligaueris(*legibus scilicet non funibus*) super terram, erit ligatum & in cœlo, & quodcunque solueris &c. *&* Pasce agnos & oues meas. *eo nempe sensu quo Regi Dauid dictum fuit,* Tu pasces populum meum Israel. *idcircò monetur Princeps his quæ in Deut. leguntur.* Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ Tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat time-

re

re Dominum Deum ſuum &c. nec declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, vt longo tempore regnet ipſe & filij eius super Israel. *Princeps ergo ſanam tueri debet religionem, etſi ipſi his quæ religionis ſunt præeſſe non liceat.*

Præmiſſum autem Petri cathedræ obſequium, præter æternam felicitatem, temporalem principatum etiam fortiorem ac firmiorem conſtituit: quia ipſa Cathedra mater eſt fidelium, & cunctis velut filiis ſuis vtramque exoptat proſperitatem. videns enim ſubditorum contumaciam, legibus ſuis, & auctoritate diuinitus accepta illos compeſcit ac reprimit, & rebelles obedientes reſtituit: & Principes qui fortè erant expoſiti ruinæ, ad priſtinam dominationem reuocat.

Si autem Princeps hæc quæ enunciamus venerari renuerit, velut Saulo contumaci ei quandoque dicetur: Quia proiecisti ſermonem Domini, proiecit te Dominus ne ſis Rex super Israel. *& idem quod Salomoni ob idolorum culturam dictum eſt di-* 1. Reg. 15

cetur

3. Reg. 11 *cetur ei*. Quia non custodisti pactum meũ, & præcepta mea quæ mandaui tibi, disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Dan. 2. *Nam facilè est Altissimo mutare tempora & ætates, regna transferre & constituere.*

Hæc verò cultura Dei amplius in Principe quàm in subditis debet esse spectabilis, quia exemplum operum illius maximæ est Claud. *virtutis in subditos.* Regis enim ad exemplum totus componitur Orbis. *& facilè sanatur populus si à Dei cultura abierit, dummodo Principis sit illi conspicua virtus & pietas. quæ si ex aduerso ab eo longè fuerint, vniuersa Resp. ruet ad vitia: quia sicut in corporibus grauior est morbus qui à capite diffunditur, sic perniciosius est damnum, cùm procedit à Principe.*

Nouerat hæc naturæ lumine magnus ille Romanus Scipio, qui Africanus ob virtutis meritum nuncupatus fuit; cui postquam Carthaginem armis cœperat, cum milites virginem eleganti forma inde ereptam adduxissent; respondit: Acciperẽ nisi essem

Impe-

Imperator. *Meminit quippè Principem non minus Ducem populi, quàm exemplum operum esse constitutum. Enimuerò Principũ acta, si generosa fuerint, salutem: si praua, morum corruptionem subditis afferunt. idcircò sermo Diuinus ait*, Secundum iudicem populi sic & ministri eius, & qualis Rector est ciuitatis, tales habitantes in ea. *teneat ergo Princeps Dei culturam, pro sua suorumque vtraque potiunda salute.* Eccl. 10.

Nec quemquam conturbet, Romanorum ingens imperium sub falsò Deorum cultu propagatum, & superstitiosa religione firmatum vniuerso terrarum Orbi nihilominus præfuisse; & plures fuisse Principes, qui falsi numinis cultu principatum obtinuerunt. quia Romani & consimiles Principes, veram se habere religionem ignoranter æstimarunt: non tamen religionem abiecerunt, sed eam, quam veram esse opinati sunt, maximè coluerunt. hinc Leo Papa de Romanorum dicebat imperio. Hæc autem ciuitas ignorans suæ prouectionis auctorem, cum penè omnibus dominaretur Serm. 1. in natal. Apost.

gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus, & magnam ſibi videbatur assumpſiſſe religionem, quia nullam respuebat falſitatem. *non abiecerat ergo Romanorum Reſp. religionem, ſed eã falſam aſſumpſerat, quia veram non obtinuerat. nihilominus Altiſſimus ei tribuebat dominium, vt per illud Euangelicæ prædicatio veritatis facilius deinceps in vniuerſo terrarum Orbe diffunderetur. quamobrem idẽ Leo Papa ibidem inquit.* Diſpoſito namque diuinitus operi maximè congruebat, vt multa regna vno confœderarentur imperio, & cito peruios haberet populos prædicatio generalis, quos vnius teneret regimen ciuitatis.

Et cætera Ethnicorum regna Deus olim diſpoſuit, & cui vult ſua ineffabili prouidentia ſemper partitur, quia dominus vniuerſorum ipſe eſt, & non eſt qui poſſit reſiſtere voluntati eius: ipſe mutat tempora & ætates, transfert regna atque conſtituit: omnia enim ſunt in manu eius, & ſapientia eius attingit à fine vſque ad finẽ for-

fortiter, disponens omnia suauiter. Regna tamen, religione in humana societate & naturali nexu fortius ligantur: quia Regna quæ religionis vnitate nō gaudēt, ad dissidia & rebellionem sunt amplius prona. Religio ergo omni tempore fuit necessaria Principibus. cùm falsam habuerunt, temporalem tantùm per illam connexerunt dominatum cæterum cùm vera adfuit & adest, & dominatum firmat & nectit, & æternam salutem tribuit.

IVSTITIÆ ÆQVABILITAS.

IVstitia quæ in hoc exprimitur Theor. ea non est qua quis supernaturaliter iustus dicitur, nec quæ omnem virtutē complectitur, qua viri boni ac recti neminem lædentes, irrepræhensibiles nominantur: nec quæ est habitus inclinans hominem ad se communicandum alteri, quæ amicitia dicitur; nec quæ partitur munera & præmia iuxta personarum qualitates, quæ est distributiua: nec quæ in contractibus &

commerciis æqualitatem ſeruat, eſtque commutatiua: ſed quæ in Foro iudicij miniſtratur à Principe, qua citra perſonarum acceptionem ius dicitur, vitia corriguntur, rei damnantur, innocentes abſoluuntur, & vnicuique quod ſuum eſt tribuitur. Verumtamen non ſolùm iuſtitia ſic accepta, ſed quocumque modo ſumitur, Principi maximopere congruit: quia ſicut poteſtate, ſic bonitate & rectitudine omnes debet antecellere. Quamobrem ad illos ſic Diuinæ Scripturæ loquuntur.

Sap.1. Diligite iuſtitiam qui iudicatis terram. præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationũ:
Cap.6. quoniã data eſt à Dño poteſtas vobis & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur. quia cum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, nec cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundùm legem Dei ambulaſtis. Horrendè & cito apparebit vobis, quoniam iudicium duriſſimum his qui præſunt fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia,

cordia, potentes autem potenter tormenta patientur. non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam, quia pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus, fortioribus autem fortior instat cruciatio.

Decet autem Principem honor & magnificentia, gloria simul ac diuitiæ. quia dictum est à Deo. Cui tributum, tributum: Rom. 13
cui vectigal, vectigal. *Nam iustitiæ thronus, & humanarum custodia legum his opus habent. enimuerò sicut regimine Principis homines ad benè feliciterque viuendũ maximè indigent: sic grandi honore Principem prosequi, semper debent esse parati. At quia huius mundi copia rerum, & magnifica claritas illi contingit, quoniam æquitatis ac iustitiæ solium possidet: si ergo iustitiam deserat vel differat, vniuersum principatus institutum corrumpit, commodum euertit, & diuinam ordinationem spernit: ideoque reus erit lesæ Maiestatis Dei: & quæcumque à subditis exhibentur,*

 tunc

tunc occupabit iniquè: cum ipsi pro ministerio iustitiæ ea tantùm dignè conueniant. Hinc Dominus talibus flagella atque supplicia comminatur dicens Veh qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, vt essent viduæ præda eorum & pupillos diriperent. quid facietis in die visitationis & calamitatis de longe venientis?

Isai.10.

Oportet enim Principem punire scelestos. hoc non tantùm Fori iura præcipiunt, sed & Paulus docet dicens. Principes non sunt timori boni operis, sed mali: &c. non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. *Cum dicat Apostolus Principem esse Dei ministrum vindicem malorum, iustè hoc fieri & Dei mandato exequendum imperat. Quod insuper naturali iure indicitur. nam non conceditur malis impunè peccare: quoniam pax hominum & rerum omnium periret securitas. Nemo enim esset*

Rom.13

curæ,

curæ anxietatis & periculi expers. Reos ergo debet omnino pœna multare. quod olim mandatum etiam à Domino fuit. Qui autem ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Deo tuo, & decreto Iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael: cunctuſque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia. *Etenim* homicidas ſacrilegos, & venenarios punire, non eſt effuſio ſanguinis, ſed legum miniſterium. Deut. 17. Hieron. in c. 22. Hierem. tomo 4.

Si autem acceptis muneribus hæc exequi omittat: vel pœnam capitis inuertat in incommodum marſupij, plurimùm delinquit. Nam leges ea mandantes ſeruare tenetur. Quia niſi occidantur mali, cæteri ad mala perpetranda fortiùs animantur: eo amplius ſi ſcelera purgari pecunia cognouerint.

Nec Principem conturbet quod Euangelium docet. Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. Et ei qui vult tunicam tuam tollere, dimitte & pallium. *Quoniam non Principes,* Matth. 5.

 ſed

ſed priuatos homines tunc Saluator inſtruit. nec ea omnibus præcipit: ſed perfectos conſulit. Subditis enim eſt illicita vindicta, quia ciuitatem maximè turbat: quæ illata à Principe, Vrbes potiſſimùm ſedat.

Sæpè contingit honeſtiores ciues Principi ſubiectos, prædia ſaluberrima poſſidere, quæ quoſcunque ſpectantes oblectare ſolent. ſi Princeps ea obtinere exoptauerit, Dauid regis, non autem Achab & Iezabel geſta ſectari tenetur. Dauid enim vir Deo acceptiſſimus, volens altare Domino ædificare in
1. Paral. 21. *loco quo Angelum Domini viderat, dixit ad Ornan eiuſdem loci poſſeſſorem.* Da mihi locum areæ tuæ, vt ædificem in ea altare Domino: ita vt quantum valet argenti accipias, & ceſſet plaga à populo. *Et quia Ornan gratis Regi locum obtulerat, reſpondit Rex:* Nequaquam ita fiet, ſed argentum dabo quantum valet: & dedit pro loco ſiclos auri iuſtiſſimi ponderis ſexcentos.

3 Reg 21 *Rex autem Achab volens à Naboth vineam emere, cumque renuiſſet, quia patrum*

ſuorum

ſuorum hæreditatem à ſe abalienare noluit, Iezabel vxor eius, Regis aſſenſu præcepit vt Naboth adductis falſis teſtibus occideretur. qua impietate peracta, Rex vineam poſſedit. Sed Deus iuſtus & omnipotens, qui ab vnoquoque noſtrum minimè diſtat, ad Eliam prophetam hæc locutus eſt. Surge & deſcende in occurſum Achab regis Iſrael qui eſt in Samaria: ecce ad vineam Naboth deſcendit vt poſſideat eam, & loqueris ad eum dicens. hæc dicit Dominus: Occidiſti, inſuper & poſſediſti. In loco hoc in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum. *& ſic factum eſt, vt ſequenti capite diuina ſcriptura enarrat.*

Quos ergo Princeps iuſtè iudicare tenetur, vt vnicuique tribuat quod ſuum eſt, bonis quæ poſſident violenter non debet exuere. Iuriſdictio enim & poteſtas Principis illucuſque non tendit. qui ſecus exiſtimat, vel munus ſuum non nouit, vel ad tyrannidem pertranſire deſiderat. Violentia enim in rebus huiuſcemodi tunc erit licita,

cùm

cùm id quod quæritur, non ad priuatum Principis, sed ad commune Vrbis vel Reip. commodum vertitur: quia bono particulari, bonum commune iustè est anteponendum.

SVBDITORVM PATROCINIVM & dilectio.

PErpendat iugiter Princeps, potestatem suam quam exercet, ab hominibus immediatè, à Deo autē mediatè habere originem: quatenus mentibus hominum leges illigauit, vt in Principem aliquem sibi eligant, vel aliunde constitutum sustineant: vt per eum quisque ius suum obtineat: & omnia distinctè & ordinatè disponantur: luant pœnas mali, qui ciuium tranquillitatem turbant, & præmia sumant boni, commune commodum vel honestum decorem Reip. suis operibus afferentes. Ideoque emolumentum populorum multa dilectione intendat, & ciuium bona conseruet & patrocinetur; quia Præfecturæ hic est finis præcipuus.

Æstimet etiam Princeps se supra subdi-

tos

tos à Deo non esse magis dilectum, etsi superiorem gradum obtinet: nec eos quos regit aliquando contemnat: quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualis est illi cura de omnibus. *& Apostolus ait.* Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniquè gessit: & non est personarum acceptio apud eum. Propterea quod iustum est & æquum seruis præstate: scientes quod & vos Dominum habetis in cœlo. Sap.6. Rom.2. Coloss.3 & cap.4.

Diligit enim Deus noster omnia opera sua, nisi enim ea diligeret non fecisset, nec postea facta seruaret. Quos ergo Deus diligit, Princeps non spernat. Dignioribus autem maiorem honorem præbeat & benemeritis. Quod autem ad iustitiam pertinet æqualiter tribuat.

Sit Princeps cum sibi subiectis quandoque affabilis: eorumque prosperitate gaudeat, quia sic eos sibi amore coniunget: cum sit magnes amoris amor; magisque firmabit solium, & diuinæ voluntati obsecundabit. monet enim Principem Dominus, Ne eleuetur in superbiam cor eius super fratres Deut.17.

suos. *Iram namque & austeritatem vultus sui, scelesti ac malefici solùm inspiciant.*
Rom.13. *etenim ad malos dicitur* : Non enim sinè causa gladium portat, minister enim Dei est in iram ei qui malum agit *Ad probos autem*: Vis non timere potestatem, bonũ fac, & habebis laudem ex illa. *Quibus ergo competit Principis laus, congruit & eius affabilitas. nam legitur* : Sicut fremitus
Prou.19. Leonis, ita & Regis ira: & sicut ros super herbam, ita & hilaritas eius.

Sit Princeps contentus censibus suis: nec noua exigat tributa vt subditos reddat inopes, sed vt communi vtilitati subueniat: nam quemadmodum in multitudine po
Prou.14. puli dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia illius: *ita in subditorum diuitiis gloria eiusdem, & in eorundem mendicitate dedecus. Iustitia quippe quam ministrat docet, vnicuique quod suum est fore reddendum, non autem quod suum non est, esse auferendum. Fas & iura sinunt, Principem thesaurum condere vt fiat diues, non tamen ex subditorum venatione bono-*

bonorum : ſed cùm in rebus ſuis cuſtodiendis ſolertiam tenet: in ſuis prouentibus conſeruandis prudentiam ſeruat ; & in ſumptibus ſuperfluis euitandis moderamine vtitur. Poteſt namque Princeps tributa exigere, & vectigalia ſtatuere, ſi aliunde bona non debeat, quæ ſuæ præfecturæ dignitatem conſeruent : vel ſi pro ſubditorum vtilitate communi aliquid ſit ſtabiliendum, non autem pro ſolo ærario ſuo ditiore reddendo.

Nec prodeſt exemplo Ioſeph Ægypti proregis occurrere, quòd dum fames omnem terram premeret, vniuerſa bona Ægypti pro Rege à ſubditis emit, triticum pro pretio exhibendo : quia eo tempore triticum ære regio comparatum fuerat, idcircò illud primùm pro pecunia licitè vendidit : cumque deinde Ægyptij pecuniam non haberent, pecora dederunt pro pretio, poſtmodum bona ſtabilia, agros ſcilicet & vineas. Quod operari licet, quia quiſque quod ſuum eſt vendere poteſt, & pro pretio vel pecuniam vel bona ſtabilia recipere. Nihilominus Io-

seph à Regnicolis in futurum quintam tantum partem fructuum Regi soluendam esse decreuit. præterea casu eidem regno euenit, vt Principi bona stabilia vendere coacti fuerint: hæc enim vbique non accidunt. Sed hinc cognoscant Principes, agros & bona regnorum sub dominio & non tantùm vsu manere subditorum: quia ea pro tritico vendiderunt; quod non fecissent, nisi rerum illarum dominium habuissent.

Gen. 2. *Animaduertat Princeps se non ita dominari hominibus sicut pecoribus:* Ad imaginem enim Dei factus est homo *Patroni autem ipsi à patrocinando dicuntur: non autem quia sinè causa eos bonis possunt exuere, vel occidere. Debent enim omnia bona eorum, ac cuncta iura tueri: hæc planè sunt munera Præfecturæ: eosque pœna multare si mali fuerint, vt cæteris tranquillitatem pacemque ministrent. Quos enim puniunt tunc rectè castigant, si etiam addendo flagella, commune bonum prospiciant.*

Firmissimus enim principatus redditur, qui beneficiis & dilectione continetur: nam

bene-

beneficia & dilectio beneuolentiam, supplicia timorem gignunt. quod autem est formidabile, est itidem exosum. etenim iusti finis dominij, salus & commodum obedientium existit: idque est imperium, cura scilicet salutis alienæ. Ammia. Marc. l. 25.

Immodestè olim Antigoni filius principatum gerebat: at his verbis illum pater commonefecit. Non nouisti fili nostrum Regnum esse nobilem seruitutem? *Hæc autem monita, Principis erga subditos debitum patrocinium ac dilectionem innuunt. Enimuerò nulla res est, quæ animos subditorum fortiùs capit, quàm patrocinium ac dilectio, & præcipuè cum calamitate aliqua præmuntur: & illos maximè debet dilectione prosequi qui ex clara sunt orti progenie. quia honorificum est vt Principis liberali dilectione ac patrocinio, clarorum hominum fiat propagatio, & veterum familiarum instauratio.* Ælianus l. 2.

Si autem Princeps patrocinium & dilectionem subditorum abiecerit, & solo timore ac metu illos regere voluerit, diu regnare

non

non poterit: quia quod formidatur, quisque perire cupit, vt metus auferatur: & si aduematiat opportunitas, aduersus Principem audacter insurgent: vel saltem omnia reddentur suspecta: & orietur inde Principis maxima miseria, quia sentiet se omnibus quos regit inuisum & odiosum esse.

ABIECTIO MVNERVM in Foro iud.cij.

PRinceps cùm lites in Foro dirimit, vel maleficis infert supplicia, non suscipiat ab illis munera, vt rectum sit eius iudiciũ.
Prou.15. *scriptum est enim*, Non accipias munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum. *&*, munera de
Cap. 17. Deut.17. sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij. Maledictus enim est qui accipit munera, vt percutiat animam sanguinis innocentis. *Neque magnum & pusillum, diuitem ac pauperem in iudicio distinguat.*
Deut.1. *dicebat enim Moyses*: Nulla sit distantia personarum, ita paruum audietis vt magnum, nec accipietis personam cuiusquam

quam, quia Dei iudicium est. *imò vt sermo Domini monet*, Neque pauperis misereberis in iudicio. *cum ergo in Foro non sit miserendum inopi, nec diues nec nobilis erit præferendus: sed æqua ac recta est ferenda sententia. Legitur enim:* Accipere personam impij non est bonum, vt declines à veritate iudicij. *&*. Qui cognoscit in iudicio faciem, non benefacit; nam pro buccella panis deserit veritatem. *Imò de bonis iudicibus sermo diuinus ait* Qui dixit Patri suo & matri suæ nescio vos, & fratribus suis ignoro vos, & nescierunt filios suos, hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt. Exod.23 Prou.18 Deut.33.

Recta olim Atheniensium iustitia maximè vbiq; commendata refulsit, quia Areopagitarum tribunal erexerant, in quo nocturno tempore absque lumine, his qui iudicium expetebant, iustam ferebant sententiam; quia iudicandos, cùm essent in tenebris discernere nequibant. hi ergo qui nec reos nec actores volebant agnoscere, quali eos pœna multassent, qui vt sententiam sibi fa-

 uora-

uorabilem acciperent, munera obtulissent? Maxima quippe rerum est corruptio, munera à litigantibus recipere vel expetere, pro quibus æqua est ferenda sententia: tunc enim impius pro muneribus omnino iustificatur. idcircò vir quidam egregius, cum iudicis olim fungeretur officio, munera quæ ei data fuerãt abiiciens, ait. Si accepissem, pacẽ cum legibus habere non potuissem.

Phocioni Athenienſium Duci Rex Macedonum Alexander centum miſit dono talenta: at is percontatus eos qui pecuniam deferebant, cur ſibi vni illa mitteret Alexander, cum permulti eſſent Athenienſes? illiſque dicentibus, quia vnum te iudicat virum honeſtum & bonum: ergo inquit Phocion, ſinat me talem haberi & eſſe. *Principibus innuens, integritatem morum tenere non poſſe, ſi in Foro iudicij munera ſuſceperint.*

Plutar. in Apoph.

Quid ergo de muneribus enunciandum erit? omni quippe tempore non ſunt ea damnabilia, quia in diuinis ſcripturis quandoque probantur. Dicendum ergo eſt, munera

offerre

offerre ſæpe laudabile eſſe: vel ad vexationem redimendam malorum: quod fecit Iacob, cum Eſau fratri ſuo, qui ei iratus occurrerat, munera obtulit dicens. Accipe munuſculum de manibus meis. & ſuſcipe benedictionem quam attuli tibi. *Vel ad obtinendum quod cæteris ſecundùm iura tribuitur, ne denegetur quod aliis ſtatuto pretio datur: quod feciſſe Iacob & filios eius Ægypti proregi Ioſepho, à quo triticum ſolutione pecuniæ accipere cupiebant, diuina ſcriptura refert.* Sumite, *inquit Iacob*, de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, & deferte viro munera. *Vel ob magnificentiæ & amicabilis dilectionis oſtenſionem, vt Salomoni Regina Saba, & eidem Reginæ Salomon operati ſunt. Vel pro remunerandis dignis operibus, vt à Nabuch. Danieli geſtum legimus.* Tunc Rex Danielem in ſublime extulit, & munera multa & magna dedit ei.

Gen. 33.
Gen. 43.
3. Reg. x.
Dan. 2.

Cùm ergo munera cæteris hominibus non afferunt iniuriam, nec leges nec iuſtitiæ æquitatem corrumpunt; recto adhibito fine,

qui morum operibus bonitatem tribuit, munera exhibere vel accipere; minimè dedecet. Cæterum in Foro iudicij, cùm lites sunt decidendæ, vel innocentia absoluenda, & punienda malitia, procul sunt abiicienda munera: quæ præcipuè iuxta hunc sensum vbique damnata leguntur. idcircò non absolutè, sed in Foro iudicij ea repellenda esse, principiò diximus.

MINISTRORVM digna electio.

QVIA Princeps in omni ditione sua nequit adesse, satagat ministros iustitiæ delegare prudentes ac timentes Deũ.
Prou. 28 *quia scriptum est:* Dux indigens prudentia multos opprimet per calumniam. *Et Iethro vir eruditus Sacerdos Madian sic*
Exod. 18 *suadebat Moysi.* Prouide autem de omni plebe viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam; & constitue ex eis Tribunos, & Centuriones, & quinquagenarios, & Decanos

canos qui iudicent populum omni tempore: quicquid autem maius fuerit referant ad te: & ipsi minora tantummodò iudicẽt. *Maximum quippe malum est atque peruersum, eos iustitiæ ministros constituere, qui non ad tribuenda vnicuique quæ sua sunt se delegatos putent: sed ad ditiores indagandos ciues, vt addita calumnia, ad Forum cogantur accedere, vt inde omnibus spolientur bonis. His autem iniquis hominibus dictum est à Domino*, Qui calumniatur pauperem vt augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori & indigebit. *Eligat ergo atque discernat viros meliores ac prudentiores, vt sui muneris dignos accipiat comministros. non autem quos nec nouit, imò fortè indignos cognouit: quia verum est quod Qui causam damni dat, damnum dedisse videtur.* Prou.22

Magnum quippe accidit detrimentum Principi, si in iis eligendis, quibus res committuntur grauissimæ, gratia magis quàm virtus intueatur & spectetur. Principum enim ministri oculi sunt eorum, quibus

cunćta vident atque conſiderant. qui ſi malitia caligauerint, & ipſe & illi turpi cæcitate ſordeſcent. Dei ſolius eſt indignos eligendi poteſtas, quia dignos eos eligendo reddit, virtutem eis & iuſtitiam tribuens: Princeps autem eadem poteſtate non pollet; quamobrem qui digni ſunt ab eo tantùm eligi debent. Et quanquam ſupra naturam Adæ culpa deſtitutam ſit, hominem ſinè peccato eſſe, his exceptis qui ex priuilegio diuino maxima floruerunt ſanćtitate: illos nihilominus Princeps debet eligere, quibus minor vel minima ineſt malitia. Totus enim corrumpitur principatus, ſi rećtitudo quæ in Regno requiritur, à miniſtris abfuerit, in quibus principis æquitatem ac voluntatem ſubditi conſpiciunt.

Cornelius Ruffinius eques Romanus, vir olim in bello potens, ingenti animo, manibuſque promptus, ſed rapax & auarus, Pol. ver. elec. *ſæpè dignitatem exoptauerat Conſulatus: cui C. Fabritius ob prænotata crimina ſemper obſtiterat; cum tamen aliquando plures ignauos & bellicæ artis ac fortitudinis expertes*

pertes

pertes à Senatu Consulatum expetentes cerneret, tunc C. Fabritius præfato Cornelio Ruffinio præbendum edixit. At hic Fabritij beneuolentiam admiratus, post Consulatum adeptum, gratias illi agens, hæc audiuit. Noli mirari Ruffine, quia malo indulgere rapinis, quàm seruus vendi, prostrato exercitu. *quibus docuit, ex malis minus malum esse eligendum, cùm non adest optimus: quia inquit, minus malum est habere Ducem rapacem & fortem, quàm liberalem sed ignauum, qui Remp. hostibus substernat. Etsi ergo optimorum hominum sæpè inopia fuerit, Princeps tamen inter malos, saltem minoris malitiæ, sui Regni ministrum tenetur eligere.*

Batto Dalmata à Tiberio interrogatus, cur tòties cum suis defecisset, & Romanis tantam cladem intulisset: respondit, quia ad custodiendos vestros greges non canes aut pastores sed lupos misistis. *contumacia itaque subditorum sæpissimè à ministrorum malitia originem habet. eligat ergo Princeps dignos sui muneris ministros, & principa-*

tùm possidebit sinè timore longæuum, & Deum non sibi iratum, sed propitium sentiet: qui ad malos Principes hæc inquit.

Isai.33. Veh qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis nonne & ipse sperneris? cum consummaueris deprædationem, deprædaberis: cum fatigatus desieris contemnere, contemneris. *cum igitur creuerit ministrorum iniquitas, Princeps à principatu ad seruitutem transibit.*

IN INQVIRENDA veritate solertia.

PRoprium commodum ac emolumentum sic homines quandoque solet arripere, vt dimissa veritate, & omni rerum agendarum æquitate, dolis atque fallaciis totius Reip. pernicie, in decipiendis & falsa Principibus suadendis innitantur. Hinc sæpe plures errores oriuntur Principum in rebus agendis, in præmio vel pœna alios afficiendis: inde plurimorum hominum ruinæ, causæ etiam bellorum, & similia monstra, quæ

sæpè

ſæpè contingunt. Quamobrem omnibus in rebus quæ Principi denunciantur, ſummam in inquirenda veritate ſolertiam apponere debet : ſi ſecus fecerit, ſæpè iudicabit iniuſtè.

Perpendat ergo Aulicorum conſcientiam & conditiones, an ſit illis omnibus in rebus adhibenda fides, an quos accuſant, verè ſint criminis rei: an quos commendant, verè ſint laude digni. hinc fit vt non deceat Principem properè quicquam agere. Colligunt ſe quandoque plures Aulici vt Principem decipiant, dicunt quod reipſa non eſt : Princeps qui domi clauditur, vera non nouit : cogitur illud tantùm ſcire quod illi loquuntur : facit iudices quos fieri non oportet, amouet quos retinere debet : quid multa? bonus, cautus, optimus ſic etiam venditur Princeps. Flauius Vopiſc. in Aureliano.

Omnis regia poteſtas his duobus indiget: moderato imperantium regimine, & miniſtrorum fidelitate ac integritate: his ablatis ac remotis, nulla aderit rectitudo. Hinc Apollonius à Rege Babiloniæ rogatus quomodo

modo tutò regnare posset: Si multos, *inquit*, honoraueris, paucis verò credideris. *Quamobrem qui in suos familiares omnia committunt, ad imperandum videntur inutiles: illi enim regnum obtinent, quibus se Princeps credit. semper itaque Principi vigilandum est, ne deceptus erret, quia nonnisi plurimorum pernicie ipse delinquit. & pleriq; Principes hac inficiuntur culpa, vt eos quos amant, omnia vera consilia credant suggerere, nihilque ad propriam vtilitatem loqui.*

Huiusmodi homines magna digni sunt pœna. nam si capite plectitur qui Principis monetam vitiarit, quanto maiori dignus erit supplicio qui Principis ingenium corruperit, vnde regnorum oritur perturbatio, & plurimorum causa malorũ. Et sicut maximo dignus est tormento qui fontem publicum vnde bibant omnes, veneno inficit: ita nocentissimus est, & valde puniendus qui Principis animum prauis infecerit opinionibus, vnde multorum oritur pernicies.

Poli. ver. Princeps

Antiochus cum in venatu ferarum ab

ami-

amicis & famulis aberrasset, casam quorundam pauperum quibus erat ignotus introiuit: cum inter cœnam facta Regis mentione audisset ipsum probum esse virum, sed aliquando improbum, quia multas prauis amicis functiones sæpè mandabat, ad eorum facta conniuens: tum quòd immodico venandi studio frequenter necessaria negligeret: tunc Rex nihil respondit, nec quis esset prodidit: verùm vbi diluculo famuli venissent ad casam, accipiens ab eis allatam cum diademate purpuram: Agè, *inquit,* ex quo his me indui, heri primùm vera de meipso audiui. *quia Principem sæpissimè Aulici adulantur & decipiunt. horum autem duplex est culpa, quia vt Augustinus ait.* qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, vterque reus est: ille quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat. lib. de agon. Christi.

Et Thales à quodam percontatus, quantum à mendacio distaret veritas. Quantum, *inquit,* oculi ab auribus. *Sensit vir prudens ea tantùm vt vera à Principe habenda esse,*

quæ

quæ hominum oculis cernuntur; quia auditus sæpe numero mendacia refert, dum plures homines pro vtilitate propria, non pro aperienda veritate sermocinantur.

EORVM QVI REGVNTVR auditio.

A*D audiendos subditos Princeps frequenter debet esse paratus, causas & lites eorum sollicitè ex munere diiudicans: quia Principi qui iudicare renuit iurè dicetur.* Si non vis iudicare, desine imperare. *Aduersus eos qui has partes suas exequi negligunt, conquæritur Dominus dicens:* Causam viduæ non iudicauerunt, causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt: numquid super Gentem huiuscemodi non vlciscetur anima mea? *Enimuerò cum Princeps ideo detur vt iudicet: quomodo iudicabit nisi audierit? sicut ergo subditos suos expeditè iudicare tenetur, sic eos assiduè debet audire. idcirco dicitur,* Principem oportere stantem mori.

Hiere n. 5.

Ludo-

Ludouicus crassus, cum fatalem sibi diẽ instare sentiret, filium è Vasconia reuocauit, coramque hortatus est & obtestatus, vt magis piè regnaret quàm ipse fecisset; religionem coleret, egentibus consuleret, orbis pupillisque prospiceret, paci communique dignitati ac saluti inseruiret: Regnum nihil aliud quàm procurationem munusque publicum existimaret: cuius administrationis reddendam exactè rationem continuò post facta sciret immortali iudici: à quo cuique pro suis facinoribus sempiterna merces vel pœna paratur. Paulus Æmil. l. 5 ex Pol.

Huiusmodi monimentum in memoria Principum dignum est semper manere insculptum; vt ea regendo operentur, quæ dum regnandi terminus aduenit, se operatos esse voluissent. Munus autem hoc opere complere nunquam poterunt, nisi sibi subiectos assiduè audierint, & iustam deinde sententiam tulerint.

Omnes enim qui olim Deo placuerunt Principes, talia gesserunt. Moyses, Dauid, Salomon, ac cæteri Iudæorum laudabiles

Reges,

Reges, subditorum suorum causas iudicabant attentè, & expeditè sententiam ferebant, vt ipsa diuina scriptura enarrat. Qui ergo illorum voluerit merito ac præmio copulari, eorum gesta sequatur.

ALACRIS BENEFICENTIA.

EA est hominum conditio, & præcipuè generosorũ, vt beneficiis erga beneficos æstimentur obstricti & fidelitatem teneant ad illos in gratiis referendis. Enimuerò pro connectendis Gentibus ac nationibus, nunquam fortiora ligamina exhiberi poterunt beneficiis. Quis tam improbus vt non laudet benefactorem, non diligat, non defendat, eique opportunè non seruiat? Quis amplius Principe hoc ligamine indiget, vt populos sibi conciliet & fideles reddat? Quid validius Principe, qui deuinctos sibi amore habet subditos? Quid ad sibi subiectos deuinciendos efficacius beneficio? Si igitur Princeps beneficentiam respuat, nec principatum conseruandi scientiam, nec formam habebit.

Beneficentia confirmat amicos, beneuolos reddit inimicos, Principem laudabilem, securum, felicem, diuitem constituit: quia benefactori quisque & se & sua exhibere promptus erit. ò felicem Principem qui beneficentiam exequitur, ò infelicem Principem auarum, illiberalem, & minimè beneficum! nec laude, nec securitate regnandi, nec vlla felicitate gaudebit. Quis nesciat, agros plus adferre quàm acceperint, & beneficia benefacienti maiora reddi? *qui ea serit, dignos fructus metit opportunos.* Cic. 1. off.

Optimus Imperator *vbique terrarum commendatus Titus Vespasianus fuit, qui sæpè solebat edicere*, Non licere quemquam à vultu Imperatoris discedere tristem. *Et cum aliquando benefaciendi opportunitate caruisset, vocem illam admiratione dignam emisit.* Amici diem perdidi. *Idcircò Alexander Seuerus interrogatus quis Princeps optimus esset?* Qui amicos, *inquit*, muneribus retinet, & inimicos beneficiis sibi conciliat. *& Pythagoras simi-*

Ælian. l. 12. ex Pol. *similiter interrogatus, qua ratione homines Diis possent fieri similes: respondit*, Si veritatem amplectantur, & cunctis benefecerint. *& Theophrastus vitam dixit humanam conseruari Beneficentia.*

Nec obstat quod aduersus Beneficentiam Lib. 4. *à Cornelio Tacito denunciatur*: Beneficia scilicet eousque læta esse, dum videntur posse exsolui: vbi multùm anteuenere, pro gratia odium reddi. *quia hæc vera sunt inter æqualis conditionis homines, in quibus frequenter gignitur liuor: at inter Principem & subditos, nulla huiuscemodi est causa inuidiæ, quia homini non licet carere Principe, & Præfectura est hominibus summè necessaria: cum ergo subditus Principis conspicit beneficentiam, æquiori ac obsequentiori animo parebit & diliget. Nec tamen quod aliquando in quibusdam prauis cernitur hominib qui odiũ pro gratia reddere solent, conturbare debet beneficentiam Principis: quia huiusmodi prauorum hominum, qui ingratitudinis vitio febriunt sæuam naturam, etsi gratiam reddere non*

sit

sit semper parata, pudebit tamen benefactori saltem assiduè mala retribuere

Est enim Principi periculosa res si contemnatur, odio habeatur, vel inuideatur. contemptus vitatur scientia, grauitate, integritate: odium innocentia & humanitate lenitur: inuidia beneficentia & magnificentia sedatur. Princeps igitur sic imperare debet vt potius veneretur quàm metuatur, quia timorem odium sequitur. idcircò solùm contra rebelles audaciam, erga subiectos verò beneficentiam tenere expedit. quia nullum animal inuitè retinetur perpetuò; si poterit, effugiet. non licet ergo Principi superbè & sine beneficentia imperare, quia nemo ei erit libenter obediens. Decet tandem Principem ea imperare beneficentia, vt sibi Princeps, si subditus esset, imperari exoptaret. Marsi. Fic in ep. lib. 5. ex Pol.

Taxiles vnus inter Indorum Reges occurrens Alexandro Macedoni, qui exercitu valido Indos expugnaturus accesserat, sic ei loquutus est, Si inferior es, à nobis accipe beneficium, si superior, benefacito. *monuit* Plut. in apoph. ex Pol.

nuit esse magis proprium Principis benefacere, quàm officere, quod Alexander exequutus est: nam Regnum quod possidebat ei dimisit, & maiorem ditionem addidit.

VIRTVTIS PRÆMIVM ac suffragatio.

D*Ecet Remp. viris eruditis ac in bonis artibus versatis redundare; idcircò* Sap.6. *scriptum est,* Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum. *enimuerò scibilium & agendarum rerum inscitiam, magnum esse malum rectè olim opinati sunt Philosophi: quia non nisi sapientia & scientia nouimus quid eligendum, quid vtile, quid nociuum: sinè ipsis omnis vitæ degendæ & rerum gerendarum ratio tollitur, omnia tenebrosa sunt, inordinata iacent vniuersa. quamobrem in scripturis sanctis hæc de illa scripta leguntur:* Melior est sapientia cunctis pretiosissimis, & omne aurum ei non potest comparari. &, cognitio sapientis tanquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons purus vitæ.

Et

Et Cicero inquit : sapientia quæ est diuinarum rerum cognitio, & scientia quæ rerum humanarum est notitia, nihil optabilius, nihil præstantius, nihil homine dignius : cuius studium si quis vituperet, haud sanè intelligo quidnam sit quod laudandum putet. & 1. de inuent. subdit, Ad Remp. plurima veniunt commoda si moderatrix omnium rerum præsto est sapientia. Hinc ad eos qui illam adepti sunt, laus, honor, & dignitas confluere debent. Et Vir eruditus ac sapientia præditus non perit, nisi graui Reip. dispendio. 2. Off. 1. de inuent.

Cum ergo Regnis vtiles ac necessarij sint homines qui cælestium & humanarum rerum pollent notitia, & insuper omnium bonarum artium peritia : Princeps his suffragari tenetur, eisque condigna præmia distribuere, quæ pro rebus benè gestis assiduè debent esse parata. Ea enim ciuitas ritè gubernatur, *aiebat Socrates*, in qua boni inuitantur præmiis, iniusti dant pœnas. *Stomachatur enim sapiens, si Principem ignauis ac fortibus parem honorem tribuere* Pol. ver. præm.

viderit. Nihil non aggressuri sunt homines, si magna conantibus, magna præmia proponantur: quia ipsum facit opus leue, & spes illius laboris est solatium. Et vbi malos præmia sequuntur, haud facilè quisque bonus erit. Bonorum enim præmia bonos, & malorum malos parturient. Damnosum est cernere virum in Rep. pauperem, qui illius fuerit benemeritus. Nec stabit vlla Resp si rectè factis nulla sint præmia. Omnes erunt socordes & otiosi.

HISTORICA PERITIA.

SApientia Principi maximè congruit, vt Regnum debita regat prouidentia: & vt fiat sapiens, veterum virorum gesta præcipuè noscere & perpendere decet: ex illis enim quæ sunt euitanda vel exequenda discernet. nam turpia malorum Ptincipum opera, & optimorum Regum egregia facta in illis exarata leguntur. quamobrem Spiritus sanctus, qui sacrarum est auctor scripturarum, sapientum conditiones enarrans,
Eccl. 39. *inquit* Sapientiam omnium antiquorum

exquiret

exquiret sapiens, & narrationem virorum nominatorum conseruabit. *Pulcherrimæ quippe extant aliorum Principum in serie historiarum picturæ, quæ luculenter ostendunt, quot à circumstantibus amicis decepti fuerunt, quot illis paratæ sunt insidiæ: & vt paucis me expediam verbis, vnde bona & vtilia, mala & incommoda aduenere Principibus, in illis conspicuè discernitur. & quia ars longa, vita breuis, & experimentum difficilè, si Princeps antiquorum facta ex historiis nouerit, velut omni tempore vixerit, & ea quæ legit inspexerit ac pertractauerit, sic sapiens & prudens, etsi longæuus non sit, plurium admiratione fiet. & quæ priscos Principes periculosa experientia prudentes reddidit, breui tempore vna simul, si in historiis legantur, Principem erudient. Cumque* prudentia, *vt philosophus inquit*, sit propria Principis virtus, *ex historiarum notitia ea maximè pendet. Neminem enim decet plura scire quàm Principem, cuius doctrina & ipsi & cæteris sibi subiectis prodesse debet: idcircò hi-*

Lib. 3. Polit.

 storia-

storiarum lectio, in qua ferè cuncta cernuntur, est illi apprimè necessaria.

Omnis enim Principatus qui disciplina caret & rerum præteritarum notitia, ad interitum vadit: & multa ridicula & inepta peragere necesse est. quia vt præmisimus, vita hominum breuis est, nec poterit rerum omnium experimentum facere, vt prudenter quæ sunt statuenda decernat. at si veterum gesta ex historiis nouerit: quod alios experientia docuit, ipse earum rerum notitia & lectione percipiet. Si secus fecerit, cum arduum sit benè imperare, cæcus cæcum ducet, & ambo in foueam cadent.

Nec defuerunt olim Principes, qui ad eam deuenere dementiam, vt omnem rerum cœlestium & humanarum notitiam abiecerint: autumantes propriam illorum voluntatem in omnibus rebus à sibi subiectis agẽdis, regulam semper esse futuram. at hoc est tam impium, & tanta scatet culpa, vt non hominum sed dæmonum sit opinatio. Omnis enim creata voluntas potest obliquari, & superiore ac diuina regula indiget ad rectè

ope-

operandum : ſola Dei voluntas eſt recta per eſſentiam, & prima regula rectitudinis, cæteris æquitatem tribuens. ipſa ſolùm habet, vt illud ſit bonum quia à ſe volitum. non enim aliquid in ſe bonum eſt, ideò à Deo ſancitum, ſed ideo rectum, quia ab ipſo probatum. Pugnat ergo cum Deo Princeps, ſi regulam aliorum ſuam voluntatem ſtatuerit : & à ſuperiori naturæ lumine, à Deo menti humanæ inſerto; vel à diuino iure poſitiuo, & ſacris Eccleſiæ regulis diſcrepauerit. Impudica vox illa fuit, quæ voluntatem Principis omnibus in rebus eſſe debere agendi regulam ſignificauit : nam ex nouerca Antonini Caracallæ Rom. Imperatoris prodiit : cum enim eſſet pulcherrima, veluti ex impudentia corpus corãm illo magna ex parte nudauit : cumque dixiſſet Caracalla, Vellem, ſi liceret. ſi libet, inquit illa, licet : an neſcis te Imperatorem eſſe, & leges dare, non accipere? ſicut olim ex impudicitia, ſic nunc temporis ab arrogantia ortum habet hæc opinio, vt Principis voluntas ſit prima rerum agendarum regula, &

iuri diuino naturali, ac positiuo, & Ecclesiastico non subiaceat.

Fatemur Principem legibus non esse subiectum quoad vim coactiuam: seu pœnis coerceri non posse, quæ humanis legibus in-
In Apol. Dauid. *fliguntur, vt pro Dauid Rege dixit Ambrosius. cæterum si rectus ac iustus ipse fuerit, primus illarum erit exequutor. quia sicut scientia ac sapientia aliunde sibi aduenien-te indiget: ita etiam legibus, quæ à sapientum consilio denunciantur, & ab auctoritate Principis vim ad cogendum obtinent.*

Lib. 6 c. 5 *De Locrensi Zaleuco refert Val. max. legem ad excæcandum adulterum dedisse: cumque filius eius in adulterio esset depræhensus; se vno filium altero priuauit oculo, ne ob acceptionem personæ lex lata violaretur. Hæc sunt digna gesta tenenda à Principibus, etsi Principes, vt præmisimus, huiusmodi legum pœnis non subiaceant. Non est autem Principis voluntas recta agendi regula: indiget ergo exteriori scientiarum lumine, & notitia rerum agendarum, quæ ex historiarum cognitione præcipuè procedit,*

vt

vt debita æquitate operetur & regat.

CIRCVMSPECTA CLEMENTIA.

His est vtendum artibus Principi quæ suæ populorumque vtilitati prospiciunt: propterea patroni dicuntur, quia debent eorum habere patrocinium. Inter huiuscemodi laudabiles artes, clementia est præcipua. quæ vt Seneca inquit, lenitas est superioris erga inferiorem in constituendis pœnis. vel virtus moderatiua pœnarum secundum legem: quæ ab epicheia seu epÿKia differt; quia clementia in pœnis infligendis ex affectus lenitate, epÿKia autem secundùm intentionem legum moderatur affectum. Hugo de S. Victore hæc addit: clemens dicitur animus quando est tener ad compatiendum, facilis ad remittendum promptus ad subueniendum. & Arist. ait. Eum qui modum in ira tenet, clementem: mediocritatem autem clementiam mansuetudinemque nominamus.

lib. de Clem.

S. Thom. 2.2. q. 159. 2.2.

Pol. ver. Clem.

Lib. 2. Etic. c. 7.

Ad hanc commendandam clementiam, Salustius Orat. ad Cæsarem inquit: Qui beni-

De Rep. ordinanda.

benignitate ac clementia imperium temperauere, his læta & candida omnia visa, etiam hostes æquiores quàm alij ciues. nihilominus debet clementia esse circumspecta, ne scilicet iustitiam malorum punitiuam euertat, quæ Reip. est necessaria simpliciter. quia nisi puniantur mali, cæteri ad praua
in Alex. Com.l.3 *opera facienda incitantur. idcircò Zonaras inquit: Homini priuato satis est moderatio, æquitas, placabilitas, & in omni cultu & victu modus. Principi verò præter hæc est colenda iustitia, & ratio ciuium habenda,*
Plut. in lacon.ex Pol. *& vetera instituta tuēda. Hinc Cleomenes cum audisset ab amicis, Magistratum placidum mitemque erga omnes esse oportere, respondit* : Benè quidem, ita tamen ne sit contemptui. *significans nimiam clementiam ciuitati perniciosam esse. Ad priuatas dimittendas iniurias Princeps vtique debet esse paratus: quia miserum est humanæ vitæ instrumentum, recordatio subsequens commissæ crudelitatis: quamobrem prudens*
.Reg.25 *Abigail, vt sacra Regum narrat historia, hæc Dauid aduersus Nabal virum suum*

irato

irato dixit Cum ergo constituerit te Dominus ducem super Israel, non erit tibi hoc in singultum & in scrupulum cordis Domino meo; quod effuderis sanguinem innoxium; aut ipse te vltus fueris; &c. *in his autem quæ Remp. ledunt, seuerum esse oportet: ita tamen, vt non hominem, sed crimen insectari videatur.*

Iustitia igitur erga malos inuiolatè seruata, cæterum clementia Principi, vt præmisimus, necessaria dignoscitur: primùm quia in publicos Reip. hostes, non in suos debet vlcisci. Hostibus enim Principis ob principatus accessum, potius securitas aduenit. nam priuatis affectibus debet cedere, vbi publica res agitur, quia pater populorum est constitutus; idcircò aduersus eos munus hostis tenere non decet. Quamobrem Adrianus cum esset Imperator quendam conspiciens qui sibi fuerat hostis acerrimus, ait. Imperator sum; euasisti. *sciens principatus munere res suas priuatas non licere peragere, sed publicæ subditorum vtilitati vacare teneri.*

Sic

Sic enim priuatis hostibus ignoscendo, amplius suum firmabit imperium : quia mansuetudinem & clementiam omnibus se habere patefacit. Quamobrem Cicero videns Cæsarem Pompeij statuas deiectas honorificè collocantem, ait. Cæsar dum Pompeij statuas reponit, suas stabilit. *quia scilicet clementia principatum reddit firmiorem. Enimuerò austeritas res est Principi perniciosissima, si vltra malos homines progrediatur : quia subditos turbat, odium in Principem parit, inobedientiæ viam aperit, pacem aufert quæ inter Principem & populum necessaria dignoscitur, conscientias facit iniquas; quia cum omnes homines imaginem Dei habeant, seruituti more bestiarum non acquiescunt : quamobrem Principem austerum odio habent, intima cordis cogitatione ruinam illius machinantur, etsi eam executioni mandare opportunitate careant, cordis tamen duritiem licèt à Deo vetitam, non dimittunt. Et quia nullum violentum perpetuum, cursu temporis rerum scissuram certissimè pariet. Princeps*

ergo

ergo qui clementiam reiicit , in hæredibus ſaltem regnum profectò abiiciet.

Antigonus Rex Macedonum numeroſo exercitu aggreſſurus Athenas ; amicis ſuadentibus vt ſi eam caperet , validis illam præſidiis communiret , nequando deficeret , reſpondit : ſemper in ea fuiſſe ſententia , vt crederet clementiam plus poſſe quàm violentiam. Idemque cum prius regnum ſuum durè , poſtea placidè rexiſſet , mirantibus ſubditis dixit. Prius opus erat Regno, poſtea gloria & beneuolentia, qua illud conſeruatur. Plut. in Apoph. ex Pol.

Nihilominus Princeps munitiſſimas arces habere debet in ditione ſua, vt S.Thom. monet, quia regendo, corrigendo , & gubernando audax erit & ſecurior , & præcipuè ſi ſubditos habeat barbaros, vel ad rebellandum procliues : ſic enim ad obediendum illos promptiores faciet. Indiget ergo Princeps munitionibus ad munera ſua liberè exequenda, ad Regalem magnificentiam tenendam , ad theſauros pro communi vtilitate cuſtodiendas : exemplo Dauid , qui arcem lib.2.de Reg.Pri. cap.11.

Sion

Sion ædificauit ad ſui tutelam in Hieruſalem: & Romanorum, qui arcem Capitolij habuerunt, & varia municipia; & Iudæ Macch. qui præfatam arcem Sion dirutam inſtaurauit: non tamen ad ſibi ſubiectos maiori ſecuritate vexandos, vel penitus libertate ſpoliandos; cum poſt iuſtitiæ miniſterium in eo fulgere debeat circumſpecta clementia.

BELLI IVSTITIA vel euitatio.

B*Ellorum æquitatem ac neceſſitudinem à naturæ lumine dictari, quod mentibus noſtris à Deo vt legiſlatore fuit inſertum, exploratum eſt ac perſpicuum. Quamobrem ad hæc belligerandi iura diſtinctè & ordinatim enarranda, tria ad belli iuſtitiam requiri pronunciamus.*

Iuſtam cauſam, *nempe ad vitæ, famæ, ac bonorum patrocinium externorum: quia vim vi repellere licet* Legitimam auctoritatem; *quia ſoli Principi bellum indicere contingit, adhoc vt omni confuſione remota,*

mota, cuncta ordinatè fiant. Si enim vnicuique bella parare liceret, amoueretur ordo, & inueheretur maxima confusio. & Rectam intentionem; *nam æquum est bellum inferre commune bonum destruentibus, populorum pacem, & sanam Religionem inficientibus. quæ nisi adfuerint, bellum proculdubio erit iniquum.*

At his positis conditionibus, quis damnabit bellum, inquit Augustinus? an quia moriuntur quandoque morituri, vt dominentur in pace victuri? hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & similia: hæc sunt quæ in bellis iurè culpantur, vt etiam iurè puniantur. Alioquin Ioannes, cum ad eum baptizandi milites venirent dicentes, & nos quid faciemus? responderet eis, arma abiicite, & militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate prosternite neminem. Sed quia sciebat eos, cum hæc militando facerent non esse homicidas, lib.22, contra Faustum cap.74. tomo 6.

cidas, sed ministros legis, & non vltores iniuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores, respondit eis. Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis, sufficiat vobis stipendium vestrum. & Dominus iubet hoc stipendium reddi Cæsari, quod Ioannes dicit sufficere militi. Reddite inquit Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Ad hoc enim tributa præstantur, vt propter bella necessario militi stipendium præbeatur. Meritò & illius Centurionis dicentis, & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, & dico huic vade & vadit: & alij veni & venit, & seruo meo fac hoc & facit, fidem laudauit: non illius militiæ desertionem imperauit.

Nihilominus ad bellum euitandum omnis est adhibenda solertia, si aliunde belli finis, qui est pax & rerū æquitas non poterit expiscari. quia omne bellum facile sumitur, sed ægerrimè desinit: nec in eiusdem est potestate initium & finis. incipere cuiuis etiam ignauo licet: deponi

Salust. de bello Iugurth.

autem

autem, cùm victores volunt. *Prudentes enim pro pace obtinenda bella gerunt, & laborem spe otij sustentant: tunc igitur vtile est ad arma concurrere, cum apud hostes, locum non potest inuenire iustitia. Enimverò præstat bellum euitare, honestis conditionibus hosti concessis, quàm se cupiditati vindictæ, in incertum belli euentum coniÿcere. Quia bella sæpissimè scopæ asperrimæ sunt, quibus terra desolatur, & Regna destruuntur; propterea huiuscemodi adire discrimina, sinè maxima causa, non modica est imprudentia*

Quamobrem Diogenes Philosophus Philippo Regi Macedonum cum Græcis pugnaturo, cum ad eius castra duceretur & interrogaretur an explorator esset, verba quæ sequuntur obiecit. Vtique explorator sum, sed imprudentiæ ac vanitatis tuæ, quia nullo cogente, de vita & regno dum præliaris, periculum facis, qui pacificè ea possidebas. *Bellum ergo est magis euitandum quàm adeundum.*

Cùm ergo Princeps hæc documenta seruabit, Salomonis solium duodecim Leonibus munitum: auro fuluo nimis, dilectionis videlicet ac iustitiæ vbique refulgens possidebit. eique insuper hæc verba colenti, in sui muneris consummatione dicetur: Euge
Matt.25. serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, suprà multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. *Quia scilicet Regnum in terris iustè duxisti, sume à Deo cœlestia ac feliciora regna. Principi autem qui hæc venerari contemnit, hæc dicta seruantur.* Inutilem seruum eiicite in tene-
Matt.25. bras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.

Omnium moderatori Deo Opt. Max. honor & gloria.



DE

DE LAVDABILI SVBDITORVM OBSEQVIO AC OBSERVANTIA ERGA PRINCIPEM, THEOREMATA.

Fecit quoque Salomon mare fusile decem cubitorum à labio vsque ad labium, rotundum in circuitu, & stabat super duodecim Boues fusiles: quorum tres respiciebant ad Aquilonem, & alij tres ad Occidentem: porrò tres alij Meridiem, & tres qui reliqui erant Orientem. 3.Reg.7. & 2. Paralip.4.

ETSI onera subire ac suscipere, potius munus Principis quàm subditorum aperiat & exprimat, quia ipse curæ & prouidentiæ omnium sibi subiectorum assiduè subiacet: quemadmodum Moyses contestatus est dicens: cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? *& Dominus Moysi itidem signi-* Num.11.

Exod.3. *nificauit, cum in exitu de Ægypto præcederet eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: vt sciret scilicet suo principatu, populi esse subiectum ac fundamentum, sicut columna, quæ basis est & fulcimentum ædificij. Nihilominus sustentatio oneris, sicut Principis, sic etiam subditorum officium aptè declarat: nam quemadmodum Princeps curæ regiminis subiicitur, sic etiam subditi ad obediendum, & ea omnia exhibenda, quæ Principis conseruationi, ac Reip. communi vtilitati sunt necessaria, debent esse parati atque subiecti. idcirco obedientia, quæ ad mandatorum Dei obseruantiam requiritur, ab eodem Domino similitudine iugi in Euangelio exhibetur:* iugũ,
Matt.11. *inquit*, meum suaue est, & onus meum leue. *cum igitur subditi legibus Principis parere debeant, & insuper tributa præstare, iugo & oneris sustentatione aptissimè figurantur.*

Quamobrem quod Salomon vir omnium eruditissimus edidit, cùm mare æneum fusile

ſile conſtruxit, illudque ſuper duodecim boues ſimiliter fuſiles poſuit, ad Principis ac ſubditorum conditiones exprimendas, maximè facit. Quia ſicut mare variis quatitur ventis ac tempeſtatibus, ſic Princeps pluribus populorum curis, anxietatibus, hoſtiumque etiam occultorum periculis ſæpiſſimè exponitur. Et ſicuti mare amaritudinem habet aquarum, ita Princeps aſperam & curis plenam ſic vitam ducit, vt plures à munere Principis ſponte aliquãdo abierint: & poſtmodum læto animo clamauerint: Portum inuenimus, ſpes & fortuna valete.

Boues autem qui vas illud æneum ſuſtentabant, ſubditos ſignificare videntur, quia Principi obediendo, obſequendo, & cuncta quæ ad ſolij tutelam requiruntur ſubminiſtrando, ſubuenire tenentur: ſic enim portant ſubditi Principem, vt non tantùm illum inſtituant, quia ſinè ſubditis Princeps non eſſet; ſed illum in ſolij gloria ac decore ſuſtinent: ſeipſos opportunè, & bonorum quæ poſſident partem tribuendo. Verùm quia de munere Principum in Superiori

riori opere disseruimus, nunc de subditorum laudabili obseruantia; sub Boum metaphora disceptare aggredimur. Cumque Boues illi duodecim, quatuor orbis terrarum plagas terni conspicerent, ad communem vbique hanc subditorum sortem fortè demonstrandam: vel ad assiduam cuiuscumque temporis debitam obseruantiam erga Principem significandam, quadripertitam hanc Boum distinctionem quaternario Theorematum numero sequemur, quibus laudabilem populorum subiectionem in proprium Principem expendemus.

THEOREMATA.

1. *Prompta ac iusta obedientia.*
2. *Rebellionis euitatio.*
3. *Bonorum operum rectitudo.*
4. *Reuerentia sinè detractione.*

PROMPTA AC IVSTA obedientia.

HVmano generi Principatus adeo dignoscitur necessarius, vt eo ablato, vni-

vniuersus terrarum orbis longè deterioris esset conditionis Turri babel, vbi confusum est labium vniuersæ Terræ. etenim cum variæ sint hominum nationes ac ingenia, mores diuersi, viresque dispares; ex hac dissimilitudine furta, rapinæ, homicidia, & omnia malorum genera ortum ducerent, Terramque occuparent. nec discrimen adesset inter nobilem & ignobilem, sapientem & insipientem, bonum & malum quæ omnia auferuntur posito Principatu, cui ex munere contingit ius suum vnicuique tribuere, malos punire, bonos præmiis honorare, pacem atque felicitatem omni populo præbere. idcircò eruditissimus Salomon ait: Vbi non est gubernator, populus corruit. Gen. 11. Prou. 11.

Quamobrem perpendens Apostolus beneficiorum pondus, quod à Principe in populum emanat, hæc scribit: Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. *& ad Tim. ait:* Obsecro igitur, primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones Tit. c. 3. Ep. 1. c. 2.

pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt.

Enimuerò beneficia quæ principatus populò exhibet, his quæ vniuersæ terræ Sol adfert, ritè possunt comparari: nam quemadmodum Terrarum orbis, ablato Sole, chaos esset tenebrarum, & omnia fierent infœcunda atque sterilia: sic genus hominum si principibus careret, omnibus malis, & rerum agendarum confusione redundaret. Manifesta ergo sunt beneficia principatus, eiusque summa necessitas: adeo vt si quis hæc animaduertere nequeat, haud scio an hominis titulo gaudere mereatur.

Veruntamen sicut principatus naturali ac Diuina Sanctione pro naturali felicitate obtinenda summè necessarius percipitur, eodem modo & populorum obedientia est vbique erga Principem apprimè debita, nam nequiret Princeps proprium exequi munus, & prænarrata inferre beneficia, nisi populus mandatis & legibus illius promptam exhiberet obedientiam. Ius ergo quod Principem constituit, populum obedientem similiter

liter instituit, eiusque necessariam obedientiam æquè demonstrat. idcirco subditis, omnibus in rebus quæ ad finem eundem diriguntur, Principi obedire tenentur: dummodo quæ ipse mandat, superioribus regulis, Diuinis scilicet & Petri cathedræ legibus ac doctrinis non aduersentur. tunc enim leges ciuiles, & Principum mandata contemnenda sunt, cùm Dei & Ecclesiæ Sanctionibus contradicunt, exemplo trium hebræorum qui Regi Nabuch. restiterunt nolentes statuam quam erexerat adorare: & Petri Apostolorum principis & Ioannis Apostoli, qui Principibus Iudæorum Euangelij promulgationem prohibentibus contradixerunt dicentes, Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire quàm Deum, iudicate. *& cap. 5.* Obedire oportet Deo magis quàm hominibus. *ideoque huiuscemodi obedientiam iustam esse debere, principiò diximus.* Dan. 3. Act. 4.

Cæterùm integra manente diuina & Ecclesiastica lege, populus ad obediendum Principi debet esse promptus atque paratus.

cuius

cuius obedientiæ perspicuum habetur exem-
Cap. 15. *plum* 2. *Reg. vbi sic legitur.* Et ait Dauid seruis suis qui erant cum eo in Hierusalẽ: Surgite fugiamus, neque enim erit nobis effugium à facie Absalon &c. Dixeruntq; serui Regis ad eum: omnia quæcunque præceperit Dominus noster Rex, libenter
Cap. 10. exequemur serui tui. *&* 4. *Reg.* Miserunt ergo præpositi domus, & præfecti ciuitatis, & maiores natu & nutritij ad Iehu dicentes: serui tui sumus, quæcunque iusseris faciemus. *Et similiter Principi sumptus & tributa subditi dare tenentur, vt solium ac dignitatem debito teneat decore, & communi vtilitati subueniat, vt*
Matt. 22. *Saluator noster monuit dicens*: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt
Cap. 13. Dei Deo. *& Paulus ad Rom.* Ideò enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes. reddite ergo omnibus debita: cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem.

Hæc autem de qua loquimur obedientia sub-

ſubditis decorem ac meritum etiam auget, quia à iuſtitia trahit originem: nam ipſa habitus eſt parendi præceptis omnibus quæ à ratione proficiſcuntur. & quemadmodum peruerſus eſt qui bona, honeſta, ac vtilia mandata negligit, ſic rectus eſt ac iuſtus, qui ſuo Principi promptè obedit. Salus enim regnorum ex obedientia procedit. quid enim vtilius quàm obtemperare prudentibus, Magiſtratibus ſcilicet & Principibus, qui ea quæ mandant, prius ſana ac honeſta eſſe accuratè perpendunt? Imò quo promptior eſt quiſque ad obſequendum Principi, eò amplius honoribus & opibus opportunè decorabitur. ideò obedientia, ſi fuerit prompta, præter honeſtatem & decorem, obtemperanti cauſa eſt vtilitatis, & quandoque etiam maximæ laudis: nam Cyrus Perſarum Rex quendam ex ſuis militibus coram exercitu valde laudauit, quia dum hoſtem in prælio eſſet interfecturus, illicò illum dimiſit incolumen, quia regias tubas audierat, quæ terminum prælij innuebant, & milites à præliãdo reuocabãt, ſciẽs Principi

exactè

exactè & promptè esse parendum. Imò eò tendit obedientiæ decor, vt magis laudabilem obedientem subditum, quàm Principem imperantem exprimat: nam Plato

lib. I. de Rep. *inquit*, Bonorum ac prudentum natura & conditio est, magis quiescere & obedire quam aliis imperare. *Subesse itaque ac sponte obedire, sicut maioris rectitudinis signum est euidens, sic etiam amplioris prudentiæ; quia laborem & varias regiminis anxietates euitat, in quibus Princeps assiduè versatur.*

Quamobrem Demosthenes potius in exilium quàm ad Tribunal ob regendi difficultatem ac fastidium se velle pergere affirmamabat. & similiter Themistocles amplius sepulchrum, quàm principatum eligere se paratum fore dicebat. Et reuera, magnam potentiam ambit inexpertus, odit expertus, etsi eam deinde deponere non sit tutum.

Principem ergo tanto onere grauatum, inobedientia & contumacia exagitare, abominabile est: & vniuersum insuper rerum ordi-

ordinem ſoluit ac miſcet qui talia operatur. & quem potius quiſque prompta obedientia ex anxietate ſubleuare debet, inobediendo amplius onerare, & ad ſui exitium vexare, extrema eſt animi peruerſitas. Si autem ſubditus, Principis onus conſiderando, illius miſerationem habuerit, obſequium quod illi debet, minus erit oneroſum. quamobrem contumacia in imprudentibus cernitur & inconſideratis hominibus, qui quàm moleſtum ſit homines regere non intelligunt nec perpendunt. Prudentes verò nunquam principi contumaces ſunt, quia onera illius dignoſcunt: & dum curas illius contuentur, libentiſſimè parent, onuſque obedientiæ minus ſentiunt.

Etenim ſicut pes libenter ſeruit oculo, quaſi ſibi ſeruiens, ſciens quia niſi oculus ſuo miniſterio vſus fuerit, nec ipſe ſuo poterit vti: & oculus libenter ſeruit pedi, quaſi ſibi ſeruienti; ſciens quia niſi pes ſuo fungatur munere, nec ipſe ſuas exequetur partes: ſic ſubditi Principi obedire ac ſeruire grato animo debent, quaſi ſibi ſeruirent;

quia

quia Princeps reipsa subditis etiam seruit, omnia mala, principatus munere tollendo, quæ homines redderent infelices. Cum ergo Princeps populo sic seruiat, cur populus Principi seruire ac obedire renuet? Ex his equidem quæ præmisimus inobedientiam erga Principem ex inscitia & inconsideratione ortum ducere animaduertimus. nam quis tam impius & rudis vt non seruiat ei qui sibi ita seruit, vt mala plurima auferat, & quietam felicitatem ei tribuat? Fulgeat ergo in subditis prompta ac iusta erga Principem obedientia, quia nimis est rationi consona.

REBELLIONIS EVITATIO.

PRincipem dispositione ac voluntate diuina principatum obtinere, vtriusque Cap. 4. *Fæderis paginæ nos erudiunt.* Excelsus *inquit Daniel*, dominatur in regno hominum, & cuicunque voluerit dat illud. Rom. 13 *& Apostolus ait*, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à

Deo

Deo ordinatæ sunt. *& ratio insuper hoc idem ostendit. quoniam Dominus, qui omnia creauit, & similiter conseruat, eadem disponere necesse est: quia omnibus est intimè præsens, imò* in ipso viuimus, mouemur, & sumus. *nec affirmare decet, vt Princeps sinè illo qui gubernat omnia, regimen habeat: sicut ergo omnia Deus producit, sic omnia pariter ordinat & distribuit. Quamobrem subditi proprium principem à Deo sibi esse constitutum, & à Dei consilio prouenire, firmiter asseuerare debent. Sic Dauid Deo acceptissimus, Saul regem, etsi sui persecutorem acerrimum, assiduè veneratus est, velut Dei ministrum: & cum Dauid illum potuisset occidere, quia Saul ipsum interfecturus accesserat, inquit.* Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. *idest Dei mandato vnctus in Regem. Eandem obseruantiam erga Principem, subditi assiduè ostendere debent, eumque semper venerari, tanquam*

Act. 17.

1. Reg. 24

Rom 13 *Dei ministrum ad regendum constitutum.* *idcircò Apostolus ait :* Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.

Qui ergo à Principis obedientia rebellando abire præsumit, contra Deum pugnat, qui Principem stabiliuit: etenim subditis aduersus Principem insurgere non licet, etsi vexatione addita eos gubernet : quia per eum Dominus peccata populi quandoque punit, vel bonos in virtutibus exercet: quamobrem Petrus Apostolorum princeps monet etiam malis Principibus, in ciuilibus rebus esse parendum, dicens : Serui subditi

Epist. 1. cap. 2. estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis.

Rom. 13 *Et Paulus duplici via ad rebellionem dissuadendam pergit: ira & conscientia:* Ideo *inquit*, necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam : *Ira, quia* non sinè causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. *Rebellio namque pœna capitis, & bonorum ablatione soluitur, Conscientia, quia coram Deo*

est

est abominabile crimen Principi non obtemperare; quia contra id quod ipse sanciuit pugna committitur. quapropter Petrus Apostolus ait: Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei. 1 Pe. 2.

Æstimant quandoque subditi, etsi inconsideratè, posse rebellione fieri liberos à vexationibus malorum Principum: sed incidunt in Scillam cupientes euitare Carybdim: quia arduum est, & rarò accidit, vt rebellantes populi Principem destruant, & omnino dimittant. Si autem Princeps, vt sæpè contingit, rebellionem sedauerit, maxima eos pœna opportunè multabit, & duriori premet seruitute. Si verò nouum obtineant Principem; hic memor exitus præcessoris sui, saltem potentiores in populo sic deprimet, vt rebellandi facultatem penitus auferat. Quamobrem subditi, si prudentes fuerint, etiam malos Principes æquo animo

Tac. l.4. hist. *tolerabunt, sicut sterilitatem agrorum, aut nimios imbres, aut grandinem; quæ vineas quandoque deuastãt, & cætera naturæ mala patienter sustinent. Ad Deum qui Principem dedit confugiendum est, & bonis operibus apud eum causam agere decet, vt Principem sua gratia bonum ac pium reddat: quia* Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit vertet illud. *Omnibus meliorem sortem desiderare permissum est: sed debet etiam vnusquisque quod cuique dedit sors, patienter sufferre. Qui verò rebellione putat se ad meliora conscendere, caueat ne ei dicatur quod Hierem. legitur:* Catenas ligneas contriuisti, & facies pro eis catenas ferreas. *quia verum est quod libertatis extrema licentia, extremæ seruitutis est principium: quamobrem cùm in rebellione, subditi libertatem anteponunt ac vociferantur, hironicè pro libertate intelligunt duriorem se expetere seruitutem.*

Prou. 21. Cap. 28.

Imperiorum mutationes sinè magnis calamitatibus publicis & priuatis fieri non possunt, & principum commutatione, rarò mu-

mutantur calamitates; nec turbatis regnis facilè pax restitui potest, sed atrociora bella potius gignuntur. Et nouos Principes nouis indigere diuitiis, vnde onera grauiora procedunt, subditi animaduertere debent.

Solent enim in regnis seditiones fieri, cùm populi præsides ægrè sustinent: vel spe maioris honoris & diuitiarum, vel cùm rebus quæ aguntur offenduntur: at his omnibus seditiosa plebs decipitur & frustratur: quia vitia huiusmodi circa luxum & auaritiam præsidum aderunt, donec homines erunt; etsi non continua, quia boni etiam sæpè præsidebunt & regnabunt. Spes maioris honoris & diuitiarum fallit rebelles, quia etsi nouus Princeps succedat, seditionem peractam gratam habebit, quæ causa extitit sui principatus, non tamen rebelles ac seditiosos diliget, quia semper idem aggredi ab eo æstimantur parati. Nec fieri vel rarò potest, vt nunquam Principis actibus lædantur: quia non assiduè boni regnant, nec semper quæ sunt omnibus accommodata ipsi præcipiunt: ideoque aliam à rebellione viam

ad idem obtinendum, subditi tenere debent, vt quæ grata sunt & vtilia à Principe fiant.

Num.16 *Perpendant populi, Core, Dathan, & Abiron, qui à Moyse abierunt, quos Terra deuorauit, esse rebellantium antesignanos: & Absalonem, qui post discessionem à Dauid Rege, suspensus in quercu, lanceis Ioab confixus fuit; & inde contumaciam euitabunt ac rebellionem.*

2.Reg.18

Nec seditiosi in sui patrocinium exemplum Ieroboam assumant, cùm à Roboam Iudæorum rege defecit, feliciterque cum populo regnauit: quia vt diuina Scriptura enarrat, à Deo factum est, vt populus Israel, præter Tribum Iuda, abiret à Roboam ob Salomonis patris eius idololatriam: nam cap. 11. sic legitur: Appræhendésque Ahias pallium suum nouum quo coopertus erat, scidit in duodecim partes, & ait ad Ieroboam: tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum Salomonis, & dabo tibi decem Tribus &c. eo quod dereliquerit

3.Reg.12

Cap. 11.

querit me, & adorauerit Aſtarthen Deam Sidoniorum, & Chamos Deum Moab, & Moloch deum filiorum Ammon, & non ambulauerit in viis meis vt faceret iuſtitiam corã me, & præcepta mea & iudicia ſicut Dauid pater eius. *& cap. ſeq. cum Roboam aſcenderet valido bellaturus exercitu contra Iſrael, Semeias propheta Domini hæc Regi & populo dixit.* Hæc dicit Dominus: non aſcendetis neque bellabitis contra fratres veſtros filios Iſrael; reuertatur vir in domum ſuam; à me enim factum eſt verbum hoc. *Et quandocunque auerſio populorum à proprio Principe feliciter ſuccedit, à Domino ad peccata Principis vel ſubditorum punienda procedit. cæterum cum à populi imprudenti conſilio prouenit, maximum illi producit exitium. Euitanda igitur eſt rebellio atque ſeditio.*

BONORVM OPERVM rectitudo.

Operum iuſtitia, non tantùm pro æterna felicitate obtinenda, debet homi-

nibus adesse; verùmetiã ad rectum ac generosum Principem *à Deo accipiendum, qui utiliter, pacificè & paterna dilectione subditos regat, ut naturali felicitate quisque potiri valeat. etenim à Deo dari populis malos* Principes *ad malitiam puniendam, frequenter diuinæ scripturæ denunciant.* Dabo pueros Principes eorum, *ait Dominus scelera populi sui puniturus,* & effeminati dominabuntur eis. *& Iob similiter inquit:* Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi: *quia* cum impij sumpserint principatum, gemet populus. *nam* Leo rugiens, & vrsus esuriens, Princeps impius super populum pauperem.

Isai. 13. Cap. 34. Prou. 29. Cap. 28. Psalm.

Enimuerò terribilis est Deus noster in consiliis super filios hominum. sæpè enim subditos punit ob peccata Principis *: & quandoque propter populorum scelera hominem impium* Principem *instituit; sic 2. Reg. diuina scriptura enarrat.* Facta est fames in diebus Dauid tribus annis iugiter, & consuluit Dauid oraculum Domini: dixitque Dominus: Propter Saul & domum

Cap. 21.

eius

eius sanguinum, quia occidit Gabaonitas. *& cap. 12. ob Regis Dauid peccatum ait:* Non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum, eo quod despexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethei, & tollam vxores tuas in oculs tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis Solis huius. *Et statuens peccata populi Israel punire, eundem commouit* Dauid, *vt superbia motus, de numero militum suorum gloriaretur: quamobrem iratus Dominus pestilentiam misit in populum, & mortui sunt septuaginta millia virorum. Et postquam Salomon idola coluit, Dominus regnum illius scidit, vnde super populum magna orta sunt mala. & similiter Ioram regi sceleribus pleno, ait* Dominus *per Eliã prophetam:* Quoniam non ambulasti in viis Iosaphat patris tui &c. ecce Dominus percutiet te plaga magna cum populo tuo, & filiis & vxoribus tuis, vniuersaque substantia tua. *& propter Acaz Regem humiliauit pariter Dominus regnum Iuda:* adduxitque contra eum Regem Assirio- 3.Reg.11 2. Paral. 21. Paral. 28

 rum

rum, & afflixit eum, & nullo resistente vastauit.

Sicut ergo subditorum rectitudo rectum ac iustum Principem, sic eorundem malitia impium meretur accipere. & licet, vt præmisimus, populos ob Principis errata quandoque castiget; tamen à culpis alterius generis non erunt immunes: quia non prius Deus est vltor, quàm aliquis sit peccator. Omnis ergo punitio & quodcunque damnum hominibus euenit, quia contra rationis dictamen, vel contra expressa Dei mandata operantur. Iustum quippe est, vt nunquam careant supplicio, quorum mens nunquam vult carere vitio & pœna leuis, ingenij ferocitatem ac insaniam & rerum honestarum contemptores ad temperatiam non reducit: idcircò grauem pœnam per malos Principes Deus infert, vt populum emendatum reddat. Propria enim pœna impietatis infelicitas est: quæ non tantùm ad delictum pertinet, verùm ad exemplum: vt fulmina, quæ paucorum cadunt periculo, sed omnium metu.

Gens Iudæorum, etsi ante Saluatoris aduentum, populus & hæreditas Domini fuerit, nihilominus cum aliquando esset plena criminibus, à Nabuch. Babilonis rege illius hoste puniri sæuissimè meruit, sic Domino mandante. Ego Dominus exercituũ Deus Israel feci terram & homines, & iumenta quæ sunt super faciem terræ, in fortitudine mea magna, & in brachio meo extento, & dedi eam ei, qui placuit in oculis meis. & nunc itaque ego dedi omnes terras istas in manu Nabuch. regis Babilonis serui mei: insuper & bestias agri dedi ei, vt seruiant illi. *Hic autem omnem populum duxit captiuum: Hierusalem & templum Domini igne succendit. Quis ergo negabit bonos & malos Principes à Deo esse constitutos, & id fieri iuxta populorum merita & opera? Populus ergo si rectum expetat Principem, coram Deo dignis operibus suam causam agat.* Hierem. 27.

REVERENTIA sine DETRACTIONE

Difficultatem vrbes & Regna rectè ac vtiliter regendi, & summam prudentiam

dentiam Principi necessariam perpendens & animaduertens Philosophus, in hæc verba prorupit. Ars gubernandi ciuitates, principatum tenet in omnibus artibus. *Enimuerò inter varios mores seruare vnitatem, diuersorum hominum connectere voluntatem, pacem serere, vbi assiduè dissidia litesque oriuntur, solis naturæ viribus quæ Principi naturaliter conceduntur, perardua res est atque molesta. quamobrem summa ad hoc idem peragendum indiget industria ac artificio. idcircò idem Philosophus subdit, virtutem magis propriam Principis esse prudentiam: quæ forma est omnium moralium virtutum, sicut iuxta Theologorum sanam sententiam, charitas virtutum supernaturalium ac diuinarum forma existit. Quis ergo Principem mole regiminis grauatum pro naturali felicitate populis tribuenda, non honorabit ac reuerebitur? Qui oppositum delirare audebit, ab ipso naturæ lumine confundetur, quia illustri Viro vtilitatem afferenti, honor debetur ac veneratio.*

1.2. Eth.

Imò cum Principatus, vt principiò diximus

mus, summum subditis conferat beneficium: quia Vrbes tranquillas facit, seditiones tollit, vnicuique quæ sua sunt, pacificè possidenda distribuit, iniquos homines aufert, malos punit qui ciuium quietem turbant, benemeritos honoribus cumulat: gratitudinis iure Princeps à populis erit reuerendus, & subditorum beneuolentia diligendus. Hæc enim gratitudinis virtus, omnium virtutum est laudatissima, Deo grata, & hominibus iucunda: quæ hominem maioribus beneficiis digniorem, & vbique amabilem ac laudabilem reddit. Qui ergo æqua animi generositate vitium horret ingratitudinis, reuerentiam ac honorem suo Principi ex animo tribuat.

Verùm sic multorum hominum est peruersa voluntas, vt non tantùm Principi debitum honorem negare audeant: sed quod execrabile est, illi ita detrahunt, famam illius sic lacerant, gesta eiusdem sic peruersè excipiunt, vt non Principem ac patrem, sed hostem sibi esse opinentur: cum tamen illum vt patrem venerari obstringantur. æquè

enim

enim omnes sentiunt Doctores, mandatum
Exod.20 *illud diuinum,* Honora parentes, *ad tria paternitatis genera extendi; genitorem scilicet, ecclesiasticum Pastorem, & ciuilem Principem. cùm igitur sit Domini præceptū,*
Exod.22 *alibi etiam expressum, quia dictum est:* Diis non detrahes, & Principi populi tui non
Num.12 maledices. *& ad Aaron ac Mariam, qui contra Moysen principem Israel locuti fuerant, Dominus ait:* Quare non timuistis detrahere seruo meo Moysi? Iratusque Dominus contra eos abiit: & ecce soror Moysis apparuit candens lepra quasi nix: *qua ergo fronte subditorum quidam corrupti mente, & bonorum morum expertes, in Principem contumeliis ac detractione insurgere præsumunt; dum illum vt Patrem humiliter venerari, diuina ac humana sanatione debent?*

Hæc enim detractio non solùm diuinis legibus opponitur, sed adhuc duplici causa à subditis dignoscitur euitanda: & quia honestis moribus aduersatur, & etiam quia sibi ipsis damnum ac incommodum præparant.

rant. honestis opponitur moribus; quia denigratio est alienæ famæ per occulta verba, & dissemination mali in proximi iniuriam: Scriptum est autem, Abominatio hominũ detractor. & susurro & bilinguis maledictus. si mordeat serpens in silentio, nihil minus habet qui occultè detrahit. *& Bernardus inquit :* Numquid non vipera est lingua detractoris ferocissima? *Detrahere igitur res est inhonesta & impia.*

Prou.24. Eccl.28 & c.10 serm.24 super Cant.

Et exitium similiter sibi detractores præparant; quia legitur, Time Dominum fili mi & regem, & cum detractoribus non commiscearis : quoniam repente consurget perditio eorum : & ruinam vtriusque quis nouit? *& iterum :* Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuũ non ibit. *Et firmiter detractores teneant, se à Principe quandoq; esse puniendos, quia illi certissimè delati erunt ac manifesti. idcircò Spiritus sanctus, ne Principi maledicant, his quæ sequuntur verbis, populos monet;*

Prou.24

Sap.1.

Ecc.10. In cogitatione tua Regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui ne maledixeris diuiti, quia & aues cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annunciabit sententiam. *Ex omni ergo capite à ſubditis in Principem debet abeſſe detractio.*

Subditi itaque ſi obedientiæ iugum æquo animo ſumpſerint, imprudētem euitauerint rebellionem, bonorum operum adhibeant rectitudinem, & Principi non detrahant, ſed illum reuereantur; Altiſſimus qui diues eſt in miſericordia, iuſtum ac pium illis dabit vel perficiet Rectorem, qui terrenam felicitatem paterna dilectione ac diligentia eis cum iucunditate miniſtret; & gratiam inſuper tanquam filiis obedientiæ diſtribuet, vt ſic tranſeant per hæc bona temporalia, vt non amittant æterna.

Chriſto Ieſu Domino noſtro, qui Patri factus eſt obediens vſque ad mortem, honor & imperium per omnes generationes sæculorum. Amen.

LAVS DEO.

Errata sic corriges.

Pagina 43. veraque , vtraque . Achiiles, Achilles . p. 57. dominabio, dominatio. p. 75. & iam , etiam . p. 80. eligantiam , elegantiam. pag. 100. Vtilitatis, Vtilitatem. quæcumque, quæcunque. p. 101. deprimit, depromit, pag. 104. naturam , fortunam , pag. 124. in iram, vindex in iram.

